

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE
AURELI PRUDENTI CLEMENTIS
GENERE DICENDI
QUAESTIONES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XVIII. MENSIS JUNI A. MDCCCLXXIV,
IN PUBLICO DEFENDET
SCRIPTOR

ANTONIUS ERASMUS KANTECKI
POLONUS,
PRESBYTER POSNANIENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCLXXIV.

VIRIS ILLUSTR. PLUR. REVER.

FRANCISCO A PAULA BAŻYŃSKI

SACERDOTI ANNORUM QUINQUAGINTA MUNERE FELICISSIME FUNCTO ECCLESIAE D. ADALBERTI POSN. PRAEP. CONSIST. ARCHIEPP. POSN. A CONSILIIS ET C. ET C. DE ECCLESIA ET PATRIA UTILISS. LIBRIS POPUL. DIVULGANDIS OPTIME MERITO

FRANCISCO XAVERIO MALINOWSKI

OLIM DECANO VALDOVIENSI NUNC KOMORNICENSIS ECCLESIAE PRAEPOSITO ACADEMIAE SCIENT. CES. REG. CRACOVIENSIS SOCIO ET C. LIBRIS PERMULTIS DE GRAPHICA ET GRAMM. CUM POLON. TUM SLAV. ARTE ERUDITISS. CONSCR. CLARISSIMO

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

SACRUM ESSE VOLUIT

SCRIPTOR

VENERABUNDUS.

»Legendi et poetae nostrae pietatis: Prudentius, Prosper, Paulinus, Sedulius, Iuvencus, Arator: qui, quum habeant res altissimas et humano generi salutares, non omnino sunt in verbis rudes aut contemnendi. Multa habent, quibus elegantia et venustate carminis certent cum antiquis, nonnulla, quibus etiam eos vincant.« —

Ludovicus Vives Epist. II de ratione studii puerilis pag. 10. (Opp. Basil. 1555.)

Prooemium.

Praeclare Dionysius Lambinus, vir suae aetatis illustrissimus, in Epistola dedicatoria, ad Carolum Nonum Regem Christianissimum data, Lucretium suum commendans haec dicit:

„Homerum propterea, quod in quibusdam fabularum, partim turpium, partim absurdarum, involucris omnium rerum naturalium atque humanarum cognitionem continere existimatur, non solum legimus, verum etiam ediscimus: Lucretium, sine fabularum taliumque nugarum integumentis, de principiis et causis rerum, de mundo, de mundi partibus, de vita beata, de rebus caelestibus ac terrenis non vere illum quidem, neque pie, sed tamen simpliciter et aperte et, ut Epicureum, ingeniose et acute et erudite et purissimo sermone loquentem non audiemus?" [1])

Quam docti ejusdemque pii viri opinionem de Lucretianae poesis praestantia lubentissime amplectentes, ad alterius poetae opera aptissime applicari posse censemus, Aureli Prudenti Clementis, qui, quamquam omnium temporum acerrima ingenia occupavit nostraque praecipue aetate editores nactus est haud spernendos, Obbarium puta et Dresselium nondum eo, quo dignus est praemio, ut nos quidem putamus, donatus est. Quum enim ethnici, qui di-

1) Legimus in Siegberti Havercampi editione Titi Lucreti comparata Lugduni Batavorum 1725.

cuntur, auctores omnium manibus terantur, quum a prima aetate adolescentium animi in egregia ista, quod sincere fatemur, palaestra exerceantur, in qua mentis acies augetur, memoria roboratur: maxime dolendum est a Christianis christianos scriptores, ne dicam omnino negligi — attamen maximam partem parvi aestimari magnoque supercilio despici. Quid? Si Lambinus Lucretium de vita beata, de rebus caelestibus ac terrenis, non vere illum quidem, neque pie, sed tamen purissimo sermone loquentem tanto opere commendat, num nos christianos poetas, eosque et vere et pie de rebus maximi momenti disserentes, tanto honore omnino indignos putabimus?

Neque in omnibus audiendi sunt ii, qui solis paganis imperium in scholis vindicantes, Christianos ideo expungendos putant, quod incompti sint et laxi, quod leporibus, quibus illi abundent saepissime careant, quod numeri eorum claudicent, perspicua brevitas desideretur: haec enim omnia specie quadam veritatis potius, quam ipsa veritate fulciuntur, quamvis saepe pro veris venditentur: non enim quempiam de trivio arreptum legendum postulamus, sed optimum quemque et gravissimum, in quibus facile invenientur nonnulli, qui, temporum ratione habita, celeberrimis antiquitatis scriptoribus digne annumerari possint et revera annumerati sunt.

Haec ideo praemittenda putabamus, Candide Lector, ut ne quid praejudicati huc afferens consilium nostrum improbes, quo commoti, observationes quasdam de Aureli Prudenti Clementis genere dicendi communicare tecum statuimus. — Hunc enim maxime idoneum putabamus, quo melius cognito adversariorum argumenta rationesque refellantur et confutentur. Erasmus enim Roterodamus „Pindarum nostrum“ [2]) Caspar Barthius „divinum Pindarum“

2) in commentario ad Cath. XI p. 458 editioni Prudenti Basileensi 1562 addito.

eum appellat, propter carminum et metri varietatem „poetamque, quo nemo divinius de rebus christianis unquam scripserit“ [3]). Olaus Borrichius „supra genium saeculi sui facundia et pia eruditione assurrexisse“ [4]) eum existimat, versusque ejus, si quantitatum vitia tollas, fere sine salebris, sonoros, decoros dicit, Nicolaus Heinsius, dedicatione ad celsissimum principem Ferdinandum, episcopum paderbornensem data „neminem veterum majore cum successu poesim christianam dedisse excultam, aut laudabiliore exemplo famae et posteritati Prudentio commendavisse“ declarat[5]).

Sed jam a talibus viris tibi commendatum, quanti ipsi faciamus audire velis. —

---

3) Adversar. libro VIII cap. XI.

4) De Poetis p. 72.

5) cfr. editio Prudenti a Christophoro Cellario comparata Halae Magdbrg. 1703 inter testimonia, que attulit recentiora, ultimum.

Pars I.

De christianorum poetarum in universum, tum de Prudenti carminum vi poetica.

Disputationis nostrae partem hanc meditanti in mentem venerunt verba Scargae, inter Polonos, saeculo decimo septimo pedestri oratione scribentes, facile principis, qui hoc fere inter sapientiam profanam et divinam statuit discrimen [6]):

„Philosophia et sapientia q. d. profana, quum rebus occupentur humilibus, parvis incertis, verborum inani strepitu pompaque ornare sese cupiant necesse est: divina vero sancti spiritus doctrina, quum res tractet et maximas et sublimes et veras et aeternas verba non curat, quin immo

---

6) „Filozofija i madrosc swiecka, majac rzeczy niskie, male i niepewne slowy dlugiemi nagradza i udatna sie czyni. A boska Ducha sw. nauka, majac rzeczy bardzo wielkie, wysokie, prawdziwe i niepojete o slowa nie dba, i owszem prostota i niska wymowa wielkosc i majestat prawdy pokrywa, zadnego zalecenia ludzkiego jezyka nie szukajac, a raczej wiekszego sie z nich zelzenia bojac. A ktemu iz rzeczy sa wyzsze, nizli rozum pojac a jezyk wymowic moze, musi wielkosc ich w skapych pogrzebac slowach a wiecej dziwowaniu i uwazaniu pilnemu i naboznemu polecac". Kazania na niedziele i swieta wydanie J. N. Bobrowicza Lipsk 1843 II pag. 29. „Stary to zwyczaj slug Bozych po prostu s Panem Wszechmocnym rozmawiac i slowu wiecznemu niewydwornemi ale pokornemi slowy potrzeby swe przekladac. Bo tez sam Pan s prostymi rad rozmawia i pokorna modlitwa przenika niebiosa". Swietego Augustyna Ksiag pieçioro . . . . przez Piotra Kazimierza Tryzne Wilno 1617 przedmowa.

simplici humilique dicendi ratione magnitudinem majestatemque veritatis occultare nititur, sermoque ejus haud cinerem quaeritat, sed potius ne ipso laedatur pertimescit. Quumque insuper res, ab ipsa tractatae, majores sint, quam quas ratio intellegere, aut lingua eloqui possit, magnitudo earum arctis verbis occultanda magisque admiranda pieque contemplanda, quam penitus perspicienda esse videtur."

Ex hisce nonnihil lucis attulisse putamus ad disceptandam quaestionem, qui fiat, ut tantum discrimen paganos inter christianosque auctores legentium animis occurrat, in iis praesertim, quae ad orationis ornatum, dicendi copiam, amplitudinem, magnificentiam pertineant. Similem distinctionem Cicero statuit inter dicendi genus, quod argumentationibus et illud, quod locis communibus proprium est: „illae tenuius et subtilius et acutius tractantur, hi autem (scilicet: loci communes) gravius et ornatius et cum verbis, tum etiam sententiis excellentibus; in illis enim finis est, ut id, quod dicitur verum esse videatur, in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo [7])".

Christiani enim scriptores, quum id praeter omnia curarent, ut revelatas a Christo veritates, et ad fidem et ad mores spectantes, sincerissime fidelium mentibus inculcarent, quo et Dei Optimi Maximi gloria in terris augeretur, hominumque saluti consuleretur: fieri non potuit, quin eo dicendi genere potius uterentur, quod Cicero argumentationibus proprium esse declaravit, idque non solum apud eos, qui prosa oratione scripserunt, sed etiam apud poetas, eundem finem persequentes, saepissime invenimus [8]).

---

7) Cicero de inventione II, 16, 21.

8) Huc facit, quod Salvianus, Galliae Presbyter scribit: „nos, qui rerum magis quam verborum amatores, utilia potius, quam plausibilia sectamur; . . . . in scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus sed remedia". De gubernatione Dei. Beneque Dresse-

Hinc sermo poetarum christianorum paullo tenuior, arctior, non verborum exquisita pompa, sed sententiarum gravitate insignis, hinc jejuna quaedam et sicca scribendi ratio, hinc etiam, si eos cum optimis latinis scriptoribus comparare studeas, eam, quae recte scribendo imposita est, normam saepissime relictam invenies, lateque eos divagari fatearis necesse est. Accedit, quod et libertati et litteris iniqua imperatorum aetate, lingua, optime a Cicerone et a poetis, qui Augusti tempore floruerant, exculta in dies magis magisque depravabatur, quum rostra silerent, quum senatus sententias non rogaretur, quum, ut ait Corn. Tacitus, memoria fere cum voce perderetur. Quodsi denique, uti aequum est, concedes, nessarium fuisse nova religione divulgata, quum novae opiniones, ignotaeque usque ad illud tempus sententiae hominum animis, in tantis tenebris, repente illuxissent, ut nova quoque verba vel fingerentur, vel e graeca lingua, latina terminatione addita, transferrentur „(dabitis enim profecto, inquit Cicero, ut in rebus inusitatis utamur verbis interdum inauditis)" [9]), jam fere omnia habebis, quae te, Christianorum poetarum carmina legentem, offendent laedentque, nisi forte numerorum desideres mentionem, in quibus saepe peccatum esse neminem fugit. Externum igitur poesis vestitum, ex orationis pendentem concinnitate, pulchritudine, splendore, quibus veteres Romanorum poetae excellunt a Christianis non aequari facile concedimus, at si internam vim et indolem, excellentiam et magnificentiam spectabis, si sententiarum gravitatem, morum, qui vel describuntur, vel praedicantur, castitatem, celsos animi affectus observaveris non te negaturum existimem: his omnibus,

---

lius in prolegomenis, editioni Prudenti praemissis, pag. XVI de poetis christianis: „pectorum ligamina illi quaerebant, non externi ornatus pompam".

9) Cicero Acad. post. I, 6, 24.

in lyrica praesertim poesi, Christianos longe superiores esse antiquae Romae vatibus, quorum maximos, Horatium et Catullum, non inepte Herderus, acerrimi vir ingenii, ora, graecam semper lyram resonatia, vocat [10]).

Haec quum ita sint etiam Prudentius, qui saeculo, quod nos quartum vocamus, exeunte, itaque infima linguae latinae viguit aetate, et vitia et virtutes cum aequalibus suis habet communia. Hic Hispania patria oriundus, ubi pulsae Roma litterae ingenuaeque artes hospitio exceptae sunt, postquam jure dicendo regendisque urbibus bonam aetatis partem consummavit „stultitiam exuit" civilibus negotiis valedixit, „voce saltem Deum concelebraturus si meritis nequiret [11])." Ingenii autem sui fructus hos reliquit, quos graecis fere omnes, si contra Symmachum libros excipias duos, inscriptos nominibus, ipse commemorat praefatione generali v. 37 sqq.

hymnis continuet dies, (scl. peccatrix anima)
nec nox ulla vacet, quin Dominum canat:
pugnet contra hereses [12]) catholicam discutiat fidem,

10) Herders Werke Tübingen 1806 vol. VII. p. 241.

11) Prudenti praefatio gener. v. 35 et 36.

12) „hereses" prima correpta, ut 41 secunda in „idolis" ex licentia, qua Prud. in graec. vocc. quantitate utitur. Dresselius. ad h. v. Liceat hic Bernhardy'i (pace tanti viri dixerim) errorem indicare, qui (Grundriss der Römischen Litteratur. Vierte Bearbeitung Braunschweig 1865 p. 916. „widmete Prudentius die letzten Jahre seines Lebens (nach 405) geistlichen (?) Arbeiten") praefationem hanc in mente habens, ubi Prudentius, Philippo et Salia coss. natus (a. u. MCI 348 p. Chr. n.) septimum annum et quinquagesimum agere agnoscitur (cfr. h. praef. v. 1—3.

„per quinquennia jam decem
„ni fallor fuimus, septimus insuper
„annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili),"

eum hoc deum tempore post annum 405 carmina sua componere coepisse declarat, mirum in modum deceptus, quum unus quisque facile cognoscere possit poetam, quaerentem ex sese;

40. conculcet sacra gentium,
labem, Roma, tuis inferat idolis, carmem martyribus devoveat, laudet apostolos.

Sunt autem hi

1. Cathemerinon liber, qui duodecim carmina, vario metrorum genere conscripta, vel singulis diei partibus, (unde καθημερινῶν liber dictus) vel festis quibusdam diebus accommodata, continet.

2. Apotheosis (Ἀποθέωσις vocem hanc primus

v. 6 „quid nos utile tanti spatio temporis egimus?" respondere enarrandis iis, quae toto vitae spatio gesserit, non quae sit gesturus. Accedit quod poeta, cui instat terminus, et „diem vicinum senio jam Deus applicat" ultimis versibus, fessus quodammodo vitae taedio addat:

v. 43 „haec dum scribo vel eloquor
„vinclis o utinam corporis emicem
„liber . . . . .

haec enim luce clarius ostendunt minime Prudentium ad tantum opus aggrediendum sese accingere, sed potius tanquam christianae vitae stipendiis functum „dissolvi cupere et esse cum Christo". Tum etiam ex libris contra Symmachum scriptis facile colligi potest eosdem ante annum 405 conscriptos esse, libro enim II v. 896

„tentavit geticus nuper delere tyrannus
Italiam . . . . .

Alarici Pollentina et Veronensis clades indicatur, laetaque post tantam victoriam et exsultans Roma fortissimum principem triumphalem cursum scandere jubet; eodem libro inde a v. 1114 usque ad v. 1132 (cfr. I, 379 sqq.) orat Honorium, ut ludos gladiatorios, in Martis et Saturni honorem usque ad illud tempus institui solitos tollat vetetque, quibus precibus jam anno 404 obsecutum esse Honorium colligitur ex Theodoreto V. 26. Denique nemo est, quin Prudentio, praefationem hanc scribenti omnia sua opera, forsan temporum, quibus quodque scriptum sit serie observata, ob oculos versata esse videat. In similem errorem incidit vir doctissimus J. Alzog in historia patrologiae pag. 411, I^ae ed. Nobiscum agit praeter alios cl. Teuffel in „Geschichte der Römischen Litteratur. Zweite Auflage Leipzig 1872 pag. 994. „Als er 57 J. alt war (prf. 1 ff) = J. 405 gab er die Sammlung seiner Gedichte heraus".

inter latinos scriptores e graecis transtulit auctoribus Tertullianus apolog. 34 ubi de romanorum imperatorum „apotheosi" loquitur), quo libro doctrinam de sanctissima q. v. Trinitate contra adversarios, qui in universum „Antitrinitarii" dicuntur, subtiliter et acute defendit.

3. Hamartigenia (Ἁμαρτιγένεια) de mali origine, contra eos, qui cum Marcione δημιουργόν mali principium statuebant.

4. Psychomachia (Ψυχομαχία) ubi virtutes cum vitiis congredientes inducit, carmen epico-didacticum q. v.[13]) quo sub imagine vitiorum, libidinis, irae, superbiae, avaritiae, discordiae, ethnicorum religionem perstringi bene vidit Dresselius [14]).

5. Contra Symmachum[15]) libri duo, quorum priore de diis et institutis paganorum in universum agit, altero contra singulas partes relationis, a Symmacho ad plures imperatores missae, defensionemque veteris erroris continentis, d. Ambrosium maximam partem secutus, disputat.

6. Peristephanon (Περὶ στεφάνων) quatuordecim hymnis in martyrum honorem compositis, et varios modos cruciandi et res miras, quae passioni eorum conjunctae erant, describit.

7. Dittochaion (διττός et ὀχή duplex refectio, veteris scl. et novi testamenti) quaternis versibus heroicis, quae ex veteris novique testamenti libris digniora et memoriae Christianorum potissimum inculcanda videbantur breviter adumbravit; constat 49 tetrastichis. —

Siglorum explicatio:

Praef. gen. = Praefatio generalis.

---

13) M. Varro satiram inscripsit Σκιομαχίαν, teste Gellio N. A. XIII, 22, 4. Dressel.

14) Prolegg. p. XII, et nota 26.

15) Symmachus ethnicorum saeculi quarti caput, urbi praefectus. —

Cath. = Cathemerinon liber.
Apoth. praef. I, II. = Apotheosis libri praefatio.
Apoth. = Apotheosis liber.
Ham. = Hamartigenia.
Psych. = Psychomachia.
Sym. I, II. = contra Symmachum liber.
Perist. = Peristephanon liber.
Ditt. = Dittochaion.
Epil. = Epilogus. —

Argumentum omnium Prudenti poematum omnino christianum est, et quidem ita, ut aut verae religionis placita contra paganorum atque haereticorum errores defendantur, sicut in Apotheosi, Hamartigenia, libris contra Symmachum, nonnullis hymnis Peristephanon (II. V. X.) aut moralis doctrinae christianae pars claris coloribus legentium animis depingatur, sive ethnicorum vitiis criminibusque opposita, sive per se laudata atque pro excellentia sua commendata, sicut in Psychomachia et Cathemerinon libro, qui exhortationibus, praeceptis, monitis utilissimis refertus est; restat tertium carminum genus, hymni Peristephanon libri, martyru mlaudes continentes, quibus epico more cruciatus, multique labores, mors denique gloriosa describuntur. Res igitur maximam partem novas, ut videmus, atque ad illud usque tempus poetis non tentatas tractans, eorum instar, qui per avios montes nemoraque incedunt opaca, plenum laboris opus, proprio Marte viam sibi aperiendam suscepit, qua re factum est, ut, quamquam saepius, in reddendis christianis sententiis paganorum adhibet elocutiones ex gr. Cath. V, 127

illa nocte sacer qua rediit Deus
s t a g n i s   a d   s u p e r o s   e x   a c h e r o n t i c i s.

Cath. III, 198.

D e P h l e g e t o n t e gradu facili
a d s u p e r o s remeasse Deum.

Apoth. 749 regna tenebrarum, quibus Lazarus commorabatur, describens ait:

. . . . ubi Taenara tristia vasto
„in praeceps dejecta chao, latebrosus et ille
amnis inexpletis volvens incendia ripis.

Psych. 785:

. . . . nulla hostia Christo
dulcior, (pace) hoc solo sancta ad donaria vultum
munere convertens liquido oblectatur odore.

cfr. Peristeph. X. 361

. . . . surgit vapor . . . . .

v. 364 sublatus inde ad coelum usque tollitur
et prosperatum dulce delectat deum" —

tamen — saepe necessitate coactus aut multa nova vocabula finixerit, „cinctutis non exaudita Cethegis", aut graecas voces in latinam translulerit linguam, „quum quod non habeas aliunde sumas" doceat Cicero [16]) neque Prudentium tangat, quod alio loco idem Cicero: „sermone, inquit, eo debemus uti, qui notus est nobis, ne, ut quidam, graeca verba inculcantes jure optimo rideamur" [17]).

Ex quibus (scl. graecis) hoc jam loco liceat adferre ea, quae Prudentius primus Latinorum, quantum sciam, usurpavit.

Amen Cath. IV. 72 („Amen reddidit, Halleluja dixit") voces ex hebraea in graecam et latinam linguam translatae
הַלְלוּ יָהּ אָמֵן

allophylus, a, um. Hamartig. 500 Ditt. 71.

azymon, i, Apoth. 353.

blasphemium, ii Psych. 715 (apud alios ecclesiasticos scriptores legitur: blasphemia, ae.

---

16) De Orat. III, 38. § 156.

17) Cicero de officiis I, 31. 111.

blasphemus, a, um. Ham. 2 Apoth. 16; 772. Peristeph. I. 75. Ditt. 157.
bravium, ii. (βραβεῖον) Perist. V. 538.
bruchus, i, Ham. 228.
Cathemerinon, Dittochaion
Hamartigenia, ae
idololatris, idis, Ham. 404. cfr. Cellarius ad hunc locum.
mammoneus, a, um Ham. 428,
mastigóphorus, i, Symm. II 517.
melodus, a, um Cath. IX 2. Idem nomen adjectivum legitur apud Ausonium epgr. 16.
mysteriarches, ae Perist. II 350.
Peristephanon
pleurisis, is Perest. X 485.
Psychomachia, ae
rhomphealis, e. Cath. VII 93.
sphragitis, idis, Perist. X 1076.
blasphemare Apoth. 347.
charaxare Perest. X 557.
hymnire Perest. I 118.
stigmare Perest. X 1080.

Inveniuntur etiam duae voces hybridae, ex graecis latinisque, vocabulis compositae:
paradisicola, ae. Ham. 928 primoplastus, a, um Cath. IX, 17.

Quamquam a proposito nostro alienum esse putamus de re metrica Prudenti uberius disputare, quippe quum campus hic latius pateat, a viris doctis adhuc fere intactus, tamen, quia de graecis vocabulis, Prudentio plus aequo usitatis, agimus, breviter annotamus eum hac in re (non quidem solum, sed omnes fere hujus aetatis poetas) paullo esse remissiorem liberioremque in graecorum vocabulorum constituenda prosodia. Non solum enim in propriis nominibus metiendis fluctuat ex. gr. Hădrĭănique Sym. I 274

Marcıon Ham. 56; 124, (recte metitur Ham. praef. 36 et Hamart. 502) Chalcedȣn Psych. 857 Iesus, quam vocem bissyllabam facit Apoth. 222, 417, 502; consonantique „j" cum antecedente consonante vim producendae brevis syllabae denegat — alia, de quibus consulatur Index III Cellari et Dressel. prolegg. nota 54 — sed etiam diphthongum „αι" corripit, cfr. Psych. 710, 725, Ham. 64. prf. generalis 39 hȣresis; Apoth. 331 ȣnigma; Cath. VI, 141 Mȣandrus Apoth. 210 sphȣra; Cath. VII 93 romphȣalis; similiter „ω" „η" in „ŏ" „ȣ" corripit Perist. XI 52 Apoth. 186 idȣlium Perist. II, 484; V 13 idȣla Ham. 404 idȣlolatris; Sym. II 52 poȣsis; Sym. II 478 mathȣsis, alia. Etiam in latinis vocabulis metiendis aliquotiens dormitasse Prudentium et Cellarius III° indice et Dresselius praedicta nota 54, prolegomenis addita ostenderunt, nobis quoque altera hujus disputationis parte, quando de nominum substantivorum et de verborum declinatione Prudentiana dicemus licentiae ejus hac in re indicandae dabitur occasio. Qua fortuna in verbis latinis fingendis usus sit Prudentius infra videbimus, quum suo quaeque loco, singularum orationis partium ratione habita, afferentur: hic expositis quae de graeco locutionis prudentianae colore dicenda videbantur restat, ut de poetica ejus indole generaliter addamus nonnulla. —

Ex his, quae supra de singulorum poematum argumentis diximus jam facile unus quisque cognoscere potest, Apotheosin et Hamartigeniam, quum in christianae religionis dogmatis, contra haereticorum opiniones defendendis, versentur „pedestris carminis" indolem, ipso Prudentio annuente [18]) vix superare, quamquam negari non potest in Hamartigeniae quibusdam partibus locos, poetica pulchritudine distinctos, saepius occurrere, qui, si inter Vergilia-

---

18) Epilogus 11. „approbat tamen Deus „pedestre carmen et benignus audit.

nos legerentur, majore forsitan laude fruerentur et admiratione, idemque do Psychomachia, nescio an jure, dixerim, adversante Dresselio, qui librum hunc „mediocritatem vix superare" dicit [19]), ordo enim et compositio totius carminis, granditas verborum, crebritas sententiarum, alia, flagitare videntur, ut aequius, aut certo non adeo acerbum, de eo fiat judicium, quamvis sub finem vis poetica minuatur ardorque considat.

Libri contra Symmachum duo, quos Dresselius dicendi atque argumentandi genere praeter caeteros commendari, immo palmam postulare dicit [20]), poeticis quidem leporibus carent, quum finis eorum longe sit alius, quam quem volunt poetae, confutandi nempe vincendique adversarii: inest iis tamen quaedam vis, spe certae victoriae incitata atque aucta, inest virtus orationis eximia et vere christiana, qua Symmachum, timide deos suos commendantem facile superat prosternitque; prior liber antiquitatum romanarum, praecipue ad religionem spectantium notitia, alter aptissima materiae dispositione legentis animum delectat, sermo in utroque purus, elegans, emendatus.

Quanto autem poesis christiana ethnicorum poesi, vel ipsius Augusti aetate florenti, excellat atque emineat vel ex solius Prudenti lyricis carminibus cognoscitur, cujus Cathemerinon liber et maxima pars hymnorum Peristephanon specimen christianae lyrae jure vocantur. Hac de re inter omnes fere doctissimos et eruditos viros, si solum Bernhardy'um, Prudentio plus aequo inimicum excipias [21]), una vox est. Nonnullos jam supra nominavimus [22]), accedunt: Isidorus Hispalensis „dulcem, ore eximio Prudentium" vocans [23]), Bentleyus „ Flaccum christianum" eum appel-

---

19 et 20) Dressel. prolegg. pag. XX.
21) Bernhardy l. l.
22) cfr. Dressel prlgg. pag. XIX, nota 56.
23) Ibid. apud Dressel.

lans [24]), aliis omissis Herderus, eximius hujus rei judex, qui singulari laude Prudentium cumulavit, quando de hymnis christianis agens et optimos quosque eligens, duo ejus carmina „Iam maesta quiesce querela“ (Cath. X 117 sqq.) et „Salvete flores martyrum“ (Cath. XII 125 sqq.) palma donavit [25]).

Imprimis autem conspicua est in carminibus christianis simplex, nulloque colore fucata pietas erga Deum conditorem, et, ut theologorum dictione utar, redemptorem mundi, tum animi ardor excellens, praecipue in gratiis Deo agendis, pro beneficiis, humano generi praestitis, candor et rubor egregius, omne, quo offendaris fugiens, et ad sublimia divinaque lectorem abripiens, quo fit, ut quasi terrenarum rerum oblitus altius sapias, majora petas, animo vivas non sensibus. Tum hoc quoque magni aestimandum esse puto, quod poetarum christianorum carminibus legendis animus christianae religionis veritatibus imbuitur, exemplis eorum, quos ecclesia in caelitum numerum retulit, contemplandis ad meliores fruges redit, amor in Deum augetur, similia, haec enim omnia uni cuique nostrum, qui Christi doctrinam amplexi sumus et maxime necessaria videntur atque omnibus, quae a poetis et graecis et latinis conscripta sunt, etiam optimis et perfectissimis quibusque, praeferenda. Haec omnia in Prudenti carminibus quavis pagina reperiuntur: summum perfectionis assequendae studium, maxima modestia, morum castitas, martyres eximiis laudibus decorati, Deo optimo maximo gratus semper animus praestitus. In depingendis poeticis imaginibus, in sententiis, quas profert vario modo illustrandiis, explicandis, ornandis felicissime utitur coloribus, ex sacris libris veteris

---

24) ad Horati Carm. II, 2, 15.

25) Werke Tübing. 1806 vol. VII, pag. 248. „In diesem tönt die Stimme des Betenden, jenen könnte nur die Harfe begleiten, in anderen schallt die Posaune, es ruft und tönt die tausendstimmige Orgel.“

novique tesfamenti petitis, quos omnium temporum (christ.) poetae maximi fecerunt, quasi ex opulentissimo thesauro, quae cuique opportuna erant, depromentes; veteres Romanorum poetas quantum adamaverit scribendi genere, antiquae lyrae cognato, luculenter ostendit, nosque altera hujus disputationis parte passim monstrabimus, videtur enim plectrum suum ad vetustam poetarum dictionem non inconsiderate accommodasse; praeter alios Lucretium, Vergilium, Horatium caros habuit.

Lyricorum Prudenti carminum maxima laude digni sunt duo hymni Cathemerinon libri, X et XI, quorum nonnullas strophas Ecclesia christiana in suos vertit usus; Peristephanon quoque liber hymnis excellit quibusdam, ut III, XI, XIV [26]).

Expositis virtutibus poesis Prudentianae, vitia quoque, quibus laborat, a poetica elegantia et venustate prorsus aliena, ad calculos vocanda sunt. Hic juvat imprimis locos nounullos indicare, vocabulis foedatos indecoris, quae poetae, nimio fervore abrepto, aut odio, irave incitato fortuito exciderunt, itemque alios non verborum sordibus sed sententiarum vitiosos urbanitatisque coloribus destitutos, qui inconditum sensum reddentes, taedium legentium movent atque indignationem: cfr. Apoth. 595 Perist. X, 305 Peristeph. II, 281 Psych. 316 Eam. 466 Apoth. 93 Apoth. 719. Psych. 720; alia. — Nonnunquam etiam deprehenditur nimis numerosus, cumulandisque vocabulis plus aequo deditus, ut neque modum neque decorum ser-

---

26) De iis quae supra diximus cfr. F. Delavigné: De lyrica apud Prudentium poesi. Toulouse 1848.

Brys De vita et scriptis Prudenti. Lovani 1855, quem utrumque librum non potuisse inspicere valde dolemus.

Cl. Brockhaus Aur. Prudentius Cl. in seiner Bedeutung für die Kirche seiner Zeit. Leipzig 1872. — et quae ipsi hac de re in actis pol. quibus tit. „Tygodnik katolicki“ anno 1873 scripsimus.

vare pntuisse videatur, cujus rei unicum exemplum attulisse sufficit Peristeph. X, 326—335, ubi sine ulla necessitate nisi, ut „verbositati" poetae, quam ipse v. 551 fatetur, satisfiat, triginta quinque nomina uno spiritu pronunciantur. — Spondaici versus saepius occurrunt, ut Apoth. 266 Psych. 98 Sym. I, 43 Symm. II, 856, solis dactylis compositum unum observavimus Apoth. 269. —

Absolutis iis, quae quum de christianae tum de prudentianae poesis indole et natura, virtutibus et vitiis erant dicenda, atque hoc modo excusato, ut speramus, consilio, quo commoti in prudentianum dicendi genus inquirere statuimus, ad alteram disputationis nostrae partem progredimur, in qua, quoniam de graecis, a Prudentio primo in latinam linguam detortis, jam supra diximus, de solis latinis nobis erit agendum.

Quum autem in constituendis alicujus auctoris, q. d. neoterismis aliena ope destitutum, vix quidquam proficere liceat auctorem secuti sumus clar. Reinholdum Klotz, semper, ubi dubii haerebamus egregium ejus librum consulentes, quem inscripsit:

„Hanwörterbuch der lateinischen Sprache." Vierte Ausgabe. Braunschweig 1866 — nonnulla etiam viro doctissimo Frederico Neue, debemus, cujus librum „Formenlehre der lateinischen Sprache" (pars II Mitau 1861 pars I Stuttgart 1866), eruditissime conscriptum, diligenter conferebamus cum iis, quae nostris viribus sumus adepti.

Klotzi librum supradictum pervolventes in multos incidimus, qui Prudenti opera spectant, errores, sive typothetarum incuria, sive ipsorum auctorum neglegentia, praecipue in afferendis indicandisque versuum numeris, exortos. Qua in re maxime in Apotheosis versibus computandis erratum est, et quidem ita, ut in vocabulis per „F" litteram ordientibus rectus quidem afferatur numerus cfr. s. v. **faber**, a, um; **fabriliter**, **factura**, **falsiloquus**, a, um,

figmen, flabilis, flabralis, alia, excepta voce: fatus, us, ubi typotheta pro versu 594 versum 599 posuit, (similiter s. v. incomprensus, a, um 821 pro 812); aliis autem vocabulis, non quidem omnibus, sed permultis, falsus addatur, numerus, ex. gr.

prosapia Apoth. 1006 (apud Arevalum 938 apud Dress. Obbarium omissus, apud Heinsium uncis inclusus)

carnalis	1051	pro	982
peccamen	979	pro	911
sanctiloquus	1070	pro	1001
recenseo	1069	pro	1000
relido	162	pro	95
scandalum	praef. 47	pro	35
algeo	210	pro	142
dissertator	850	pro	782
inculpabilis	1015	pro	947
polus	734	pro	666
speculum	88	pro	20
caniformis	263	pro	195
evangelicus	495	pro	427
mensurabilis	881	pro	813
Sodomita	384	pro	316
sufflabilis	906	pro	838

(quem numerum ipse uncis inclusum addit)

Syrtis	511	pro	443
vivisco	970	pro	902. alia.

Etiam cl. Neue Apotheos versus semel ita computat libro laudato II. pag. 508 (primo versu) ubi pro Apoth. 785 legendum 717.

Ex plurimis, hic allatis locis, luculentissime patet, Klotzium, aut qui eum adjuvabant, ad verum Apotheosis versuum numerum addere solitos esse versus 68 (12 + 56), quibus constant duae praefationes huic carmini praemissae,

esseque numerum hunc subtrahendum, ut genuinum habeas. Ex aliis vero quae corrigenda sunt menda haec enumeramus:

s. v. aenipes Sym. I, 531 legend. 351
s. v. altar Perist. 3,112 legend. Perist. III, 212
s. ead. v. pro Vincent. 2,515 leg. Peristeph. V, 515; est quidem hymnus hic in honorem divi Vincenti conscriptus et ita a nonnullis laudatur, sed falso omnino additur numerus 2,
s. ead. voce pro 9,212 leg. Perist. IX, 100.
s. v. brutus, a, um Perist. 2,66 leg. Perist. V, 66.
s. v. centuplico Sym. 2,2050 leg. Sym. II, 1050.
s. v. digestim Perist. 3,129 leg. Perist. II, 129.
s. v. inexplicatus qui affertur locus Cath. III, 153 addendus est sequenti vocabulo „inexplicitus“
s. v. interfor Sym. 2,33 leg. Sym. II, 67.
s. v. inviolabilis Prud. hymn. exseq. 119 legend. aut Cath. X, 19 aut hymn. exseq. 19.
s. v. mancus Perist. 2,23 leg. Perist. II, 231.
s. v. noxialis Id. ibidem (cath.) 14,1107 legend. Id. Perist. X. 1107.
s. v. obsequela Cath. 7,88 expungendum.
s. v. persulto Perist 1,77 leg. Perist. XI, 77.
s. v. pubes Cath. 7,102 leg. Cath. VII, 162 et addendum Perist. XI, 190.
s. v. scabies Ham. 220 leg. Ham. 158.
(forsitan 63 versus praefationis annumerati sunt?)
s. v. votivus Perist. 10,330 leg. Perfst. II, 330.

Pars II.

Quaestio I.

De nominibus.

Cap. I.

De nomine substantivo.

§. 1.

Substantiva novata.

„Novantur verba, inquit Cicero[27]), quae ab eo, qui „dicit ipso gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis, „ut haec:

„„Túm pavor sapiéntiam omnem mi éxanimato expéctorat.““

„„An nón novisti hujus vérsutiloquas málitias.““ „videtis enim et „versutiloquas“ et „expectorat“ ex con- „conjunctione facta esse verba, non nata; vel saepe sine „conjunctione verba novantur, ut ille „senius disertus,“ ut „di genitales“, ut „bacarum ubertate incurvescere.“ —“ Idem monet[28]) in singulis verbis tria haec esse tenenda: „ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro

27) Ciecro de oratore III, 38,151.
28) id V. ibid. III, 52,201.

autem „pervetustis." Quamquam autem idem romanae eloquentiae princeps alio loco dicit[29]) „linguam latinam non modo non inopem, ut vulgo putaverint, sed locupletiorem esse, quam graecam, tamen tertio de finibus libro[30]) concedit „in omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, quum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur" eodemque libro[31]) Catonem „de inopi lingua latina" querentem inducit. Lucretius quoque, Prudentio familiarissimus, „egestatem" linguae latinae aegre tulisse videtur, ita enim loquitur[32]):

. . . . „Grajorum obscura reperta
difficile inlustrare latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum,
propter egestatem linguae et rerum novitatem."

Praecepto igitur summi oratoris licet, quum pedestri oratione scribentibus, tum praecipue poetis, quibus licentiam statuit „majorem esse, quam in nobis, faciendorum atque jungendorum verborum"[33]) verbis uti privatis ac suis, praesertim quando de rebus agant non „pervagatis", eaque licentia usus Prudentius, magnam verborum vim, ut cum Cicerone loquar, genuit, novavit, fecit, quorum plurima decursu temporis ab iis, qui de theologicis rebus scribebant civitate quasi donata, in omnium ore sunt. Fatendum vero est, magnam eorum partem contra genium et consuetudinem linguae latinae, nullaque urgente necessitate factam, minimeque adhibendam, sèd potius perhorrescendam esse purae latinitatis studiosis.

---

29) de finib. I, 3, §. 10.
30 de finib. III, 1, §. 3.
31) ibid. 15, §. 51.
32) I. v.136 (ed. Lachmann Berol. 1871) cfr. I. v. 830. III, 260. Hor. Ep. ad Pisones.
33) Cicero Orator. 20, §. 68.

A. Nomina substantiva sine conjunctione novata.

I. ordinis.

anulla, ae Perist. VI, 149.
cunulae, arum Cath. XI, 98.
defuga, ae Perist. I, 42.
duita[34]), ae Ham. praef. 37.
Marcionita, ae Ham. 129.
Levita, ae Perist. II, 39. V, 30. VI, 3. 15.
Levites, ae Perist. V, 145.
pusiola, ae Perist. III, 20.
Sodomita, ae Apoth. 316; idem nomen adjectivi loco adhibuit Psych. 42: „Sodomita Libido" Peristeph. V, 195: „Sodomita nec latet cinis."

II. ordinis.

cinisculus i Cath. X, 143.
deliquium, ii Ham. 751. (a. verbo q. e „deliquo", vel „delico")
„sed nulla ex fluido plenae dispendia formae
sentit deliquio" . . . .
lembulus, i Perist. V, 455.
tutaculum, i Sym. II, 388.

III. ordinis.

depositor, oris Apoth. 179.
dissipator, „ Psych. praef. 34.

---

34) ad h. v. Obbarius: „Ceterum hoc verbum Prudentius ipse formavit eoque solus utitur, vide Gesner thes. s. v." Contra quem Dresselius ad eundem locum: „Errat Obbarius, cum aliis asserens, Prudentium vocabulum illud formasse. Jam Labeo apud Prisc. Javolenum Dig. 50, 16, 242 viduam sic dictam esse putat, quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate est: sic vidua, quippe

dissertator,	oris	Apoth. 782.
emancipator,	„	Cath. VII. 184.
inchoator,	„	Ham. praef. 27.
incitator,	„	Perist. X, 67.
infusor,	„	Cath. IV. 11.
lancinator,	„	Perist. X, 1057.
penetrator,	„	Ham. 875.
perdomitor,	„	Cath. IV, 12.
profanator,	„	Apoth. 178.
supplicator,	„	Perist. I, 14.
trajector,	„	Ham. 875.
calcatrix,	icis	(mundi) Psych. 587.
donatrix,	„	(sacramenti) Perist. XI. 171.
inficiatrix,	„	(fidei) Psych. 630.
ostenlatrix,	„	(splendoris) Psych. 439.
pugnatrix,	„	(subdola) Psych. 681.
praenunciatrix,		(gloriae) Perist. II, 30.
redemptrix,	„	(membrorum) Perist. X, 774.
strangulatrix,		(faucium) Perist. X, 1103.
creamen,	inis	Ham. 505.
cruciamen,	„	Cath. X, 90.
figmen,	„	Apoth. 798. 1034 (— tum Sym. II, 215.)
palpamen,	„	Ham. 303.
peccamen,	„	Cath. IX, 96. Apoth. 73. Ham. 619. Sym. II, 1043. Perist. X, 517. Ditt. 89.

---

quae sit sine duitate." Sed errare mihi videtur Dresselius, quum loco ab ipso allato inveniatur quidem vocabulum „duitas, atis" minime vero „duitae, arum", cujus vocis recte Obbarius auctorem dixit Prudentium; neque minus recte addit Giselinus in Commentario (editioni suae Antverpianae 1564 annexo): „ad novam et monstrosam haereseos speciem exprimendam, novum atque monstrosum vocabulum effingit." Cellarius „fictum" vocabulum dicit.

perflamen, inis Apoth. 692.
religamen, „ Psych. 359.
sinuamen, „ Psych. 871. Perist. VII, 34. (Juvencus I, 87.)
speculamen, „ Apoth. 20.
spurcamen, „ Cath. IX, 56.
ululamen, „ Cath. X, 114.
vegetamen, „ Ham. 75. 829. 871.

Alia permulta nomina substantiva, in „men" desinentia, Prudentius plurimis carminum suorum locis sparsit, ut: Fundamen Ps. 825 (abl. casu — ne) gestamen, hortamen (Cath. IX, 92), luctamen, meditamen, modulamen, ostentamen (Psych. 204), piamen (Cath. IX, 33), spectamen, spiramen, sputamen quae inveniuntur in scriptis Plauti, Varronis, Lucreti, Vergili, Apulei, Frontonis, Tertulliani, quibuscum Prudentius, veteres plebejasque exquirens voces, libenter loquitur.

convallia, um Perist. X. 331.
natatilis, (= piscis) Perist. X, 332 (adj. apud Tert.)
réspergo, inis Sym. I, 501.
transmigratio, onis Ham. 448.
verbositas, atis Perist. X, 551.

IV. ordinis.

discruciatus, us Ham. 834.
dolatus, us Psych. 835.
excussus, us Perist. V, 226.
excruciatus, us Perist. XIV, 19.
impressus, us Psych. 273.

B. Nomina subtantiva ex conjunctione facta.

I. ordinis.

Christicola, ae Cath. III, 56. VIII, 80. X, 57. Apoth. 485. Psych. 13. 96. 526. Sym. I, praef. 79. Sym. I, 481. Sym. II, 1003. Perist. III, 28. 72. VI, 25. XI, 39. 80. XIII, 82.
Christigena, ae Ham. 787[35]).
Nilicola, ae Psych. 655. Sym. II, 494.
nocticola, ae Ham. 634.
omnipotentia, ae Sym. II, praef. 26. (Macrob. Sat. V, 16).
Tibricola, ae Perist. XI, 174.
verbigena, ae (= verbo editus Cath. XI, 18) Cath. III, 2.
vexillifera, ae Psych. 419.

II. ordinis.

crucifer, ri Cath. III, 1.
legifer, ri (subst.) Perist. II, 363.

III. ordinis.

cunctiparens, tis Perist. XIV, 128. Ham. 931.
lucisator, is Cath. III, 1. cfr, variae lect. ap. Dress.
omnipater, is Perist. III, 70.
unicultor, is Perist. XIII, 90.

§. 2.

Substantiva inusitata terminatione.

Ana, ae (pro Anas, ae) amnis Hispaniae, nunc Guadiana dictus Perist. III, 188.

---

35) falso Klotz s. h. v. „von Christus Geschlecht entsprossen" quum activam vim habeat: „christigenam domum edidit" scil. Ruth.

Arelas, atis (urbs Galliae narbonensis pro Arelate; cfr. Auson. in clar. urb 8, 2.) Perist. IV, 35.

Synna, ae (urbs Phrygiae, lapidibus clara, pro Synnada, ae vel Synnada, orum) Sym. II, 247.

Duo nomina urbium, quae neutra terminatione finiri solent, ‚Saguntum' et ‚Tarentum' Prudentius in ‚us' terminavit

Saguntus, i Perist, IV, 100.

. . . . prope litus altae forte Sagunti.

Tarentus, i Sym. II, 748[36]).

. . . sed iuvit amoena Tarentus.

Thybris pro Tiberis legitur Perist. XII, 29.

„dividit ossa duum Thybris sacer . . . .

(Gen. „Tibris" Sym. II, 938. Vocat. „Tibris" ibid 871).

Garamans Sym. II, 809 optimi codices exhibent, pro Garamas; regula enim est, ut graecae radices in ‚ant' et ‚ent' desinentes recto casu ante ‚s' ‚n' cum ‚t' perdant; ut ‚gigas' ‚elephas' ‚Calchas'[37]).

Cybebe pro Cybele poetico more positum legitur Perist. X, 196.

Gorgona, ae (Phorci filia Medusa *Γοργώ*) pro Gorgo Perist X, 278.

Gergesĕi pro Gergeseni (*Γεργεσηνοι*) Ham. 413.

Larentina pro Larentia Sym. II, 563.

Nomen filii David, quod in vulgata divi Hieronymi versione ‚Absalom' scribitur (cfr. Regum II, 13, 1) noster ‚Abessalon' fecit (graecam secutus LXX versionem *Αβεσσαλώμ*) Ham 563:

„Ut genuit David, alias pater optimus, unum
crimen Abessalon" . . . . cfr. vers. 577.

Ambacum pro Habacuc, Cath. IV, 59.

---

36) cfr. Neue l. l. I. pag. 658.

37) Neue ibid. pag. 148.

. . . . dapes inemptas (Hor. Epod. II, 48)
quas messoribus Ambacum propheta

Belia (pro Belial) Psych. 714. Ham. 520 (— — —)

Beliades, is Ham. 610.

Deum stercoris, quem alii Sterculium, Stercenium, Prudentius appellavit:

Sterculum Perist. II, 449:

Janum bibfrontem et Sterculum
colit senatus. . . . .

Samnitis, is pro Samnis Sym. II, 516 (cfr. Neue II, pag. 9). Perist. XI, 207. Klotz s. v. Samnis, itis, editorumque, omissis aliis, Heinsius et Cellarius, altero loco (Perist. XI, 207):

„Concurrit Samnitis atrox, habitator et altae
Campanus Capuae, iamque Nolanus adest"

supplendum esse putant „terrae" atque distinguendum:

„Concurrit samnitis atrox habitator, et . . .

quod jam vituperavit Dresselius in variis lectt. ad. h. l.

cometa, ae (pro cometes, ae) Cath. XII, 21:

„Tristis cometa intercidat . . .

cuna, ae (pro cunae, arum) Ditt. 112.

audientia, ae (= auditus) Perist. X, 954:

„surdis fruendam reddere audientiam.

(Similiter ibid. v. 498 laniena = laniatus)

jugulus, i (pro jugulum) Perist. III, 151. ibid. X, 64.

ambago, inis (pro ambages cfr. Sym. II, 893) Sym. II, 847.

indages, is (pro indago) ibid. 846.

calthum, i (pro caltha, ae) Cath. V, 114:

„omnis fragrat humus calthaque pinguia . . . fundit

margaritum, i (pro margarita, ae cfr. Nonius pag. 213, 24. Tacit Agr. 12) Psych. 873. Perest. X, 648. [39]).

---

39) Dresselius altero, a nobis allato loco in textu „margaritas" quidem scripsit, in indice autem verborum et phrasium (II)

sues, is (pro sus) Sym. II, 814:
„spurca sues nostro amne natat" . . .
virginal, is (pro virginale) Perist. XIV, 8. (cfr. Neue I. pag. 184.)
Quae sequuntur voces, vulgo in ‚es' desinentes, Prud. metri causa in ‚is' corripuit: (cfr. Neue I. pag. 180.)
caustis, Perist. X, 701.
luis, Psych. 508 (Neue falso 528) Ham. 249.
pubis, Perist. XI, 190. Cath. VII, 162.
prolis, Perist. X, 840.
famis, Psych. 479.
Ioannis, Cath. V, 108. VII, 46. Ham. 911.

Vocem stips, una auxit syllaba ut sit „stipis" Sym. II, 911.

. . . . quod stipis ipsis
„virginibus castisque choris alimenta negentur."

Nomina primi ordinis „poëtico decore in levitatem soni", ut ait Charisius (pag. 41) in modum quinti ordinis posuit haec:

barbaries, ei Ham. 100, Psych. 753.
luxuries, ei Psych. 405.
maceries, ei Ham. 227.
„quamvis maceries florentes ambiat hortos.
materies, ei Cath. III, 99. Apoth. 167, 168, 250, Ham.

(quem totum, aut fere totum Cellario debet) „margarita" legend. existimat. Praeter Heilsbronnensem unus tantum codex α (Alexandrinus 321) carmina omnia Prudenti continens, lectionem hanc (margarita) tuetur, is tamen omnium romanorum Prudenti codicum optimus (cfr. Dressel proleg. pag. XLVII.) saeculo X° ineunte exaratus, quem secutus etiam est Weitzius, Heinsius, Cellarius, Arevalus; itaqae legendum putat Neue libro l. I, p. 570 cfr. Charisius pag. 42—43 et 83—84.

945. Sym. I, 326. (Psych. 600. Ham. 837. Sym. II, 258. materiem)[40]).

Weitzius in editione sua (Hanov. 1613) Psych. praef. v. 36:

„ne quam fidelis sanguinis prosapiam"

emendavit „prosapiem", adversante auctoritate codicum manu scriptorum omnium, in quibus (uno excepto, vide infra) nullum formae ‚prosapies' exstat vestigium.

Neue l. l. I, pag. 386. et Klotz s. v. „prosapia" (auctoritate Heinsi commoti), qui Perist. X, 180. legere malunt „prosapiem":

„ut tot stuprorum sordidam prosapiam"

suffragio quidem unius codicis, oxoniensis, gaudent, criticae autem artis regulis damnantur, qnia non licet auctoritate unius codicis fultum, nisi forte est omnium consensu optimus ac fonte ex quo manaverit aliis, quamvis multis praestantior, emendationes audacter tentare. Cath. XI, 89. Psych. praef. v. 36 in omnibus libris scriptis et editis (excepto Weitzio) legitur „prosapia", „prosapiam", ergo et hoc loco codicum auctoritas tuenda esse videtur.

Syncopae, quae mediis vocibus ita adhibetur, ut ejecta vocali duae concurrant consonantes, usus crebrior apud Prudentium est, quam apud alios latinos scriptores; cujus rei causam in eo sine dubio quaerendam esse dixerim, quod spernenda magis magisque in metiendis syllabis quantitatis lege, accentus vero auctoritate ingravescente, ejusdem accentus vi proximae vocales aut corriperentur aut omnino expungerentur. Itaque „periclum", „saeclum", „vinclum" sexcenties

40) Psych. 454 et 481 in codice Ratisbonensi, quem Mariettus, celeberrimum vetustissimumque appellare non dubitat, legitur „avarities; ad vers. 481 annotat Mariettus: „sed recenti manu, fortasse ad imitationem prioris (loci 454), prius fuit, tia". —

apud eum leguntur; ex minus usitatis haec observavi exempla: Fidicla, ae Perist. X, 481:

„nec distat, ignis et fidiclae saeviant.“ ibid. 550:

„sulcosque acutos et fidiclas transferat“ (si ita legendum cum Heinsio et Cellario metroque postulante; codices „fidiculae“. — Dress. affert lectionem Pragensis „fidiclae“ (ad. v. 481), in siglorum vero explicatione pag. LXVI in eo codice Peristephanon librum desiderari comperimus.)

lamna, ae Sym. I, 438. Perist. X, 760.
maniplus, i Psych. 568.
opermentum, i Psych. 462.
poclum, i Cath. VI, 16. Perist. X, 740.
piaclum, i Perist. X, 219.
retinaclum, i Sym. II, 147.
tegmen, inis Perist. X, 762.
repostus, a, um Ham. 921. Sym. II, 967. Perist. XIII, 51.

His vocibus nonnulla exempla contractorum nominum addimus:

acroma Perist. II, 342.
Bethlem Cath. VII, 1. XII, 78. Ditt. 101 (Bethleëm Perist. X, 737.)
bigus, a, um pro bijugus Sym. I, 361.

„nunc bigas frenare boves“

Denique cumba pro cymba Sym. I, praef. 12. Sym. II, 942. Perist, V. 450. XI, 69. Ditt. 138.

Induperator vetuste dixit Sym. I, 147:

„ut transire suis cum sordibus induperator
posset in aeternum caeli supra ardua regnum“,

non sine leni, ut opinor, irrisione.

Enumeratis omnibus iis nominibus substantivis, quae Prudentius vel finxit, vel inusitata terminatione adhibuit, additisque nonnullis syncopae et contractionis exemplis, no-

men adjectivum indagandum suscipimus, ea vero, quae de Substantivorum declinatione et genere sunt dicenda sequente capite absolvemus, ut uno quasi obtutu, recti casus utriusque nominis proprietatibus expositis, — obliqui utriuscasus possint observari. —

Cap. II.

De nomine adjectivo.

§. 3.

Adjectiva novata.

Res tractatas vivis coloribus „florente orationis genere" pingere, ut quasi ante oculos adesse videantur, vere poeticum est, quod ut assequantur poetae rerum proprietates substilissimas, atque maxime ad eas pertinentes, quibusque aliae ab iis facillime distinguantur sedulo apponunt, ‚epithetis' q. Graeci vocant, ornantibus diligenter utuntur.

Prudentium quoque huic studio maxime intentum deditumque fuisse vel ex eo cognoscere licet, quod permulta nomina adjectiva finxerit, nonnunquam vero varietatis causa duo, vel etiam tria ad eandem proprietatem designandam; idem variandi studium jam in substantivis nominibus observari potest, legimus enim:

Cath. X, 90. „quod per cruciamina leti
„via panditur ardua justis."

Apoth. 70: „quem contorta rubus densis cruciatibus edit."

Ham. 834: „Vermibus et flammis et discruciatibus aevum
„immortale dedit."

Perist. XIV. 19. „corpusque duris excruciatibus ultro offerebat.“

(cfr. figmen figmentum; peccamen, peccatum; piamen, piaclum, alia multa). Sic: terrenus, terrestris, terreus, terrulentus:

Apoth. 46. „terreni oculi“, Ham. 384. „peritura terrestria diligere.“ Apoth. 505. „Deus solvens sabbata terrea, mortales in aeterna sabbata sumpsit“. Ham. praef. 5. „hic terrulentis, ille vivis fungitur“ (de Cain et Abel) Perist. II, 195. „quod terrulentum ac sordidum, flammis necesse est decoqui“.

carneus, carnalis, carnulentus:

Apoth. 370. „non enim caelo lex carnea fluxit“ Apoth. 982. „omne genus carnalis stirpis“ Perist. X, 372: „o carnulenta nationum pectora!“ —

niveus, nivalis, ninguidus:

Perist. XIII, 78. „niveusque pulvis ardet.“ Sym. II, 250. „structura nivali Consurgit pietate nitens.“ Cath. V, 97. „implet castra cibus tum quoque ninguidus.“ Apoth. 661. „Ninguidus agnoscit Boreas atque imbrifer Eurus nimborum dominum.“ Perist. II, 540. „trans et Pyrenas ninguidos;“

occidualis, occiduus (Psych. 310.) omnipotens, (Sym. II, 634.) omnipollens Ham. prf. 19. cunctipotens Per. VII, 56. (cfr. supra omnipater cunctiparens); carcereus, carceralis; salutifer, salutiger; alia permulta. Maxime autem sermonem latinum ditavit Peristephanon libro, in quo substantivorum et adjectivorum fictorum tertia fere pars invenitur. Interdum tamen, quod jam supra animadvertimus, nimius est in describendis alicujus rei, vel notionis proprietatibus, tanquam rhetor orationem variat, versat, distinguit, idem idemque, quasi verborum quibusdam insignibus, ter quater-

que repetens. Ita ex. gr. Perist. X, 346 sqq. aedem, quam Deus in mente hominis condidit describens eam vocat:

„vivam, serenam, sensualem, flabilem,
solvi incapacem posse nec destructilem
pulcram, venustam, praeminentem culmine,
discriminatis illitam coloribus," Ham. 544:
„ignitum quoniam Deus indidit olli (animae)
ingenium, purum, sapiens, subtile, serenum,
mobile, sollicitum, velox, vegetabile, acutum."

A. Adjectiva sine conjunctione novata.

II. ordinis.

aurulentus, a, um Perist. XII, 49.
Berecynthiacus, a, um Sym. II, 51.
carcereus, a, um Ham. 851. Sym. II, 469. Sym. I, 491. Perist. VI, 16. XI, 53.
carneus, a, um Apoth. 370. Psych. 765.
carnulentus, a, um Perist. X, 372.
fuliginosus, a, um, Perist. X, 261.
igneolus, a, um Cath. III, 186.
lucinus, a, um Sym. II, 222.
ninguidus[41]), Cath. V, 97. Apoth. 661. Perist. II, 540.

---

41) cfr. Auson. epist. 24, 68, 124. Cath. V, 97:
97. Implet castra cibus tunc quoque ninguidus
98. illabens gelida grandine densius.
Dressel ad. h. v. „nivis atque grandinis modo manna decidens" quod non placet; modum enim, quo manna de coelo lapsa sit Prudentius solo v. 98 depinxit: „illabens gelida grandine, densius" adjectivo vero „ninguidus' ad ‚cibum' pertinente designari voluit cibi illius caelestis quandam cum nive similitudinem, si colorem spectes: apparuit enim, ait d. Hieronym. (Exod. 16. 4) „in similitudinem pruinae super terram." (cfr. Numeri XI, 7.)

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] 196.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] apud Palladium).

[illegible]

II. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] 215.

B. Adjectiva ex conjunctione facta.

II. ordinis.

aristifer, a, um Cath. III, 52.
aurifluus, a, um Sym. II, 605.
bifestus, a, um Perist. XII, 66.
coaeternus, a, um Apoth. 795.
centifidus, a, um Sym. II, 890.
columnifer, a, um Perist. III, 52.
comperpetuus, Apoth. 271.
confluus, a, um Cath. V, 76. (gurgite confluo)
dilancinatus, a, um Perist. V, 156.
dulcimodus, a, um Psych. 664.
falsificatus, a, um Ham. 549.
flammicornus, a, um Psych. 775.
frondicomus, a, um Cath. III, 102.
incomprensus, a, um Apoth. 812.
incorporatus, a, um Cath. XII, 80. (de Christo)
insubjectus, a, um Ham. 699.
irremotus, a, um Perist. V, 408.
obstrangulatus, a, um Cath. VII, 10.
praeliber, a, um Apoth. 87.
praesiccus, a, um Perist. V, 141.
quadrifluus, a, um Cath. III, 175.
saxigenus, a, um Cath. V, 7.
sanctiloquus, a, um Apoth. 1001.
semeter, ra, um Psych. 829.
semicombustus, a, um Perist. X, 859.
spiniger, a, um Perist. XI, 120.
subtacitus, a, um Ham. 174.
subternus, a, um, Ham. 922. Sym. I, 392.
tabifluus, a, um Apoth. 891.

tripictus, a, um Apoth. 381.
urbicremus, a, um Ham. 827.

Substantivum nomen, quod apud Plautum saepius legitur „legirupa“, ae, pro adjectivo posuit Ham. 238.

„omnia legirupis quassantia viribus orbem“

omnigenus, a, um Sym. I, 13. = omnia gignens:

„quae patris ars est Omnigeni . . .“

alio sensu idem adjectivum adhibuit: Sym. II, 514.

„mollia omnigenûm colla inclinare deorum.“

cfr. Verg. Aeneis VIII, 689:

„omnigenumque Deum monstra.“

conclamatus, a, um (= miser) Ham. 944:

. . . „cum flebilis hora
clauserit hos orbes et conclamata jacebit
materies . . .“

III. ordinis.

caniformis, e Apoth. 195.
Christipotens, Sym. II, 710.
collaudabilis, e Ham. 692.
conflatilis, e Perist. X, 295.
conspicabilis, e Perist. X, 633.
contrectabilis, e Apoth. 958.
cunctipotens, Perist. VII, 56.
destructilis, e Perist. X, 348.
digladiabilis, e Cath. III, 148.
invitiabilis Psych. 626.
milleformis, e Cath. IX, 55.
omnicolor Perist. XII, 39.
omnipollens Apoth. praef. 19.
resolubilis, e Sym. Sym. II, 229.
septicollis, e Perist. X, 413.
sufflabilis, e Apoth. 838.
tauricornis, e Perist. X, 222.

De adjectivis cum adverbio „male“ compositis, quomodo scribenda sint, equidem sententiam ferre non ausim, quum libri scripti et editi magnopere inter sese discrepent; certo jungenda videtur vox Prudentiana „malefaber“ Ham. 714:

„respondit Domino (Eva) suadelis se malefabris illectam suasisse viro“; alia hujus modi sunt:

malesuadus, a, um Cath. III, 113. Psych. 404. Ditt. 2.
malesanus, a, um Ham. 93. Psych. 203.

§. 4.
Adjectiva inusitata terminatione.

In adjectivis, e substantivo nomine ‚color‘ declinatis, saepius formas in ‚us‘ desinentes posuit:

discolorus, a, um Perist. X, 302:

„quos (fatuos vulgares) lana terret discolora in stipite.“

decolorus[42]), a, um Perist. I, 113:

„algidus cum decoloros horror artus concutit.“

multicolorus. a, um Cath. III, 104:

„prataque multicolora latex
quadrifluo celer amne rigat.“

unicolorus, a, um Ham. 819.

„Sic animas caeli de fontibus unicoloras
„infundit natura solo . . .“

versicolorus, a, um Sym. II, 56.

„idque etiam paries tibi versicolorus adumbret.“

effrenis (pro — us) Sym. I, 518 (ditionis effrenis), (mentis effrenae Perist. X, 966).

---

42) Cath. V, 69. „Pubes quin etiam decolor.
Ham. 497. „decolor Indus“ . . . . } = niger, fuscus.
Ham. 186. „decolor invidia.“

opulens, tis (pro — us) Perist. XI, 218. (XIII, 18. opulentus.)
dis, tis Ham 796, 859. (ditibus I° pede hexam.)

Peristeph. X, 721. Obbarius auctoritate quattuor codicum, (in quibus Ratisbon.) commotus legere mavult, „imbecilli" pro „imbecillo":

„Puto imbecillo, nate, turbaris metu". — Equidem observavi pluribus locis Prudentium „imbecillus" adjectivo uti, ex. gr. Cath. IV, 2. Cath. VII, 190. XI, 99. XII, 207. Apoth. praef. 31. — itaque et hoc loco legendum existimo. —
ledeius, (pro — aeus) Sym. I, 228.
romulus, a, um (pro — eus = romanus) Sym. I, 542. II, 298. Perist. XI, 1. V, 22.
philippus pro philippeus Perist. II, 102.

Caput III.

De nominum substantivorum et adjectivorum declinatione.

In declinandis substantivis et adjectivis nominibus Prudentius consuetam dicendi rationem relinquens, sive exquisitum quid affectans atque vetustum, saepius raras vulgaribus terminationibus anteponit. Nos quidem omnia, quae huc pertinent, summo studio colligere conati sumus, iterum iterumque Prudenti scripta manibus terentes, si quid autem forte omiserimus facile veniam et impunitatem nobis datum iri speramus, quum in tanta verborum mole vix omnia unius studio possint observari. —

Nomina declinationis I^ae^.

Genetivum singularis numeri in ‚ai' desinentem, veteribus et Lucretio tritissimum, uno tantum loco exhibent codices manu scripti — Apoth. 702:

„non dedignatum medicae purgamina aquai . . . . .“

Utrum autem Prudentius, archaismi amantissimus, una tantum hujus generis forma usus sit, an plures tentaverit, librariorum inscitia deperditas, quod in Lucreti, vel optimis codicibus factum esse demonstravit cl. Carolus Lachmannus (ad I, 29.) disquirendum omittimus. Eundem casum per syncopam flectit Psych. 847:

„. . . sive algida borrae:
aetas decrepitam vocet ad pia sacra senectam.“ (Nominativus casus Boreas Apoth. 661.)

Genetivum etiam, sive locativum velis, Aeoliae,“ Aethnae pro in Aeolia, in Aethna dixit Sym. I. 308:

„nec non regnare caminis
fertur et Aeoliae summus faber esse vel Aethnae“.

Accus. sing. num. in ‚en‘ facit:

Sym. II, 562. Persen (Macedoniae rex.)
Psych, 860. sardonychen (cfr. Neue I, 35.)
Sym. I. 119 Hylan.

Genetivum pluralis numeri per syncopam saepius fecit in „um“, „ornatus gratia vel metri necessitate vel consuetudine vetustatis[43]:“

Aeneadûm Sym. II, 542.
Anniadûm Sym. I, 551.
Christicolûm Sym. II, 1002 Perist III, 72.
(Christicolarum Cath. X, 57. Apoth. 485.)
indigenûm Sym. II, 501.
„Perfidiane deûm indigenûm cecidere tot urbes?“
terrigenûm, Perist XIII, 37.
„Milia terrigenûm spurcissima jusserant saevari.“
Macetûm Sym. II, 542.
Romulidûm Sym. I. 6.

---

43) Fragm. Bob. de nom. et pronom. 3 (Anal. Vind. pag. 128).

Dativum casum pluralis numeri substantivi, q. e. ‚anima' bis in „bus" fecit Sym. I, 531. „tartara nigra animabus." Perist. II, 289. „animabus inversa vice."

Declinationis II^ae

Genetivum singularis num. substantivorum in ‚ium' desinentium bis per syncopam protulit:
Sym. II, 688. Capitoli.
Sym. II, 1103. Palati.

Klotz s. v. „transfugium" vocem ‚sacrari', quae legitur Sym. II, 505. genetivum sing. num. per syncopam factum existimare videtur, ex „transfugium" pendentem, sic enim scribit: „b) übertr., d. Einwandern, Uebersiedeln, Prudent. adv. Symm. 2, 503. (505) sacrarii." quod omnino improbandum est, quum „transfugium alicujus rei" sensu activo vix dici possit et evidentior fiat sententia construendo „numina, quae (qui habet Prud.) meruere sacrari transfugio" „Gottheiten, welche nur durch feiges Ueberlaufen göttliche Verehrung errungen haben;" „transfugium" enim abjecta significatione hic intellegendum esse vel ex praecedente „traduxit alumnos Majestas infida locos" et ea, quae toti loco inest εἰρωνείᾳ — satis apparet.

Substantivum nomen q. e. Deus, vocativo casu bis in ‚e' flexit eodem versu Ham. 931:

„O Dee cunctiparens, animae dator, o Dee Christe!"

Neue l. l. I. pag. 85 dicit vocativum casum ‚Deus' nonnisi in vulgata divi Hieronymi versione et apud ecclesiasticos scriptores inveniri, quum ethnici nunquam Deos suos singulari numero appellaverint. ‚Dee' vocativo casu etiam Tertullianus advers. Marcionem I, 29. protulit, quam formam non improbat Probus instit. art. 532 pag. 340. (Neue).

Perist. II, 530: . . . . . „Laurenti . . . . .
beatus urbis incola!"

Perist. IV, 89. „Nonne, Vincenti, peregri necandus
martyr, ... notasti.“
pro vocat. casu rectum posuit. Vocativum casum adjectivorum in ‚ius‘ terminantium, qui rarius apud scriptores occurrit (cfr. Neue II, pag. 15.) unicum apud Prudent. observavimus, Cath. III, 2:

„omniparens, pie, verbigena.“

cfr. Charisius pag. 60. (pag. 79 ed. Keil): „opinionem de vocativo casu infirmat, quod ‚hic pius‘ in vocativo „pii“ faciat.“

Genetivum pluralis numeri saepissime in ‚um‘ terminat. Sic:

barbarûm Penst. X, 708.
deûm Apoth. 508. Sym. I, 102. 187. 190. 217. 262. 563. Sym. II, 501. 572. Penst. X, 241.
divûm Apoth. 543. Ham. 97. Sym. I, 625. Sym. II, 536. Perist. X 412.
liberûm Perist. II, 524.
Massylûm Perist. IV, 46.
adj. { omnigenûm Sym. II. 514.
bijugûm (rorantia terga ferarum) Sym. I. 128.
allophylûm Ditt. 71. }
virûm Apoth. 712. Sym. I. 80. 549. II, 705. III, 35 XI, 11. XIII. 49.

Dativum pl. num. ‚dis‘ Sym. I, 274. Perist. X. 298. 415. fecit.

Declinationis IIIae.

Sym. II. 544, Vergilium imitatus (cfr. Aeneis II, 6 „duri miles Ulixi“, II, 90 „fallacis Ulixi“) genetivum casum nominis proprii q. e. Ulixes per ‚i‘ terminat:

„. . . . et acris Ulixi“.

cfr. Quint. I, 4. 63.

Genetivus singularis nominum propriorum graecorum, in ō exeuntium, in ūs terminatur, cfr. Charisuis pag. 48: „declinantur secundum graecam definitionem velut: Sappho Sapphus ,Dido Didus, Manto Mantus, Erato Eratus . . . ." Prudentius tamen Sym. I, 117. nominis graeci „Argo" genetivo casu ‚o' inmutatum reliquit:

116. „Herculeus mollis pueri famosus amore
117. ardor et in transtris jactatae efferbuit Argo",

sic enim „jactatae" pro „jactata" legendum esse puto contra Cellarium, Arevalum, Obbarium, Dresselium (insueta genetivi ‚Argo' forma commotos), ut Genetivum accipias ‚Argo' non ablativum casum, magis enim ablativo genetivus placet, cum „transtris" conjugendus, ut sensus sit: libidinosus Hercules, famosus amore mollis pueri, effervit aestu etiam in transtris (transtra dicuntur ligna quae ex pariete in parietem porriguntur, Festus pag. 367, scamnum) tempestatibus jactatae Argus.

Lectionem hanc tuentur codices: Alexandrinus (α), Palatinus (P), Weitzi, Ratisbonensis, qui supra „jactata" "ae" habet, omnes bonae notae membranae, et editiones Aldina, Lugdunensis, Fabrici, Giselini (qui tamen in commentario ‚iactata' et scribit et explicat).

Heinsius sine ulla necessitate et contra omnes codices conjicit legendum esse ‚Argus' —; Argo enim saepius apud latinos poetas ‚hujus Argo' facit ut Hygin. Fabul. 14, „gubernator navis Argo;" „fabricator navis Argo"; Prop. III (II) 26, 39. duo codices „ratis Argo dux" (in editione Henrici Keil Teubneriana (III, 22, 19.) legitur: rudis Argus dux) Hygin. Fabul. 224 „Arcas, Jovis et Callisto filius" . . . cfr. Neue I. §. 82, pag. 309.

Peristeph. XIV. 1. genetivum sing. num. nominis proprii q. e. A g n e s pro „Agnetis" „Agnes" graeco more posuit, „quo et castitas martyris designaretur", ut ait Heinsius. (cfr. notam ad h. l.)

Accusativos sing. num. graeco more in graecis praecipue nominibus per ‚a‘ factos, hos observavi:
aegida Sym. II. 652.
cratera Ditt. 26.
thoraca Ham. 423 Psych. 126.

Peristeph. II, 250, solus omnium latinorum auctorum, ab eo, q. e. ‚sitis‘ accusativum casum in ‚em‘ fecit:

‚sitemque honoris aestuans‘

Perist. vero VI, 60. „nec libare volens sitim peregit“ omnes scripti et editi libri, (cfr. Neue I, pag. 198.)

Ham. 158. febrem Perist. II, 327. securem.

Perist. X. 228 accusativo casu sing. n. ‚Adonem‘ fecit, tanquam a recto casu ‚Adon‘ cfr. Probus inst. art. 488, pag. 332; (contra Servius ad Verg. Ecl. 10, 18. „Adon nusquam lectum est“; rectus casus Adon, secundum Neue I, 595. legitur: cfr. Varro apud Non. pag. 158. Mart. Cap. 2, §. 192. Fulgent. Myth. 3, 8. Venant. Fortun. carm 7, 12, 18).

Apoth. 196 omnes codices contra plures editores „Anubem“ exhibent:

„latrantemque caeli throno praeponat Anubem“,

quae accusativi casus terminatio legitur etiam apud Tertull. ad nationes I, 10 Aug. confess. VIII, 2. 3. cfr. Neue I, pag. 209.

Accusativum casum nominis proprii Attidis, phrygii pastoris a magna Deum matre sacerdotio ornati, quod alii „Attidem“ (Arnob. IV, 29) et „Attinem“ (Macrob sat. I, 21.) declinant, Prudentius: „Attin“ fecit Sym. II, 52.

„cum pulcrum poesis castraverit Attin.“

Sym. II, 900. et Cath. VI, 107. accusativus sing. n. ‚Charybdem‘ pro vulgato „Charybdim vel Charybdin“ legitur fide optimorum codicum.

Nomen aegyptii numinis Serapidis Sym. II, 868 acc. casu ‚Serapen‘ fecit:

„alliaque et Serapen caeli super astra locare“.

Genetivus pluralis num. ab eo q. e. ‚plebs‘ in ‚ium‘ fecit Per. X, 709:

„scribas et ipsos et coronam plebium."
Quiritum Sym. II, 947. Perist. II, 513. 563.
(Quiritium Perist. XIV, 4).
rudentium Sym. II, praef. 13.
infantum Sym. II, 296. Ditt. 113.
sapientum (subst.) Sym. II, 403.

Sequuntur nonnulla participia praesentis activi, vim substantivorum habentia, quae contra usum et consuetudinem optimorum scriptorum in genetivo pluralis numeri in ‚um' terminavit, metri plerumque causa, terminatio enim „ium", nisi vocalis sequatur vix adhiberi heroico versu potest.
accubantum Cath. IX, 59.
commeantum Apoth. praef. 49.
congredientum Sym. II, 705.
gignentum Ham. 571.
innocentum Perist. X, 1093.
languentum Apoth. 683.
obsequentum Cath. VIII, 57.
paventum Perist. X, 54. (ubi Obb. et Dress. falso „em") 286.
peccantum Ham. 663.
precantum Perist. V, 546. Cath. VIII, 52.
rogantum Perist. II, 181.
somniantum Cath. VI, 41.
spectantum Sym. I, 397.
utentum Sym. II, 829.
viventum Sym. II. 796.

Nonnulla etiam addimus participia cum substantivis juncta, genetivo pluralis num. in ‚um' desinentia:
anhelantum virorum Sym, II, 34.
arentum palmitum Sym. I, praef. 16.
cadentum gentium Cath. XI, 42.
crepantum verborum Perist. I, 56.
discrepantum gentium Perist. II, 421.
dissidentum numinum Perist. X, 211.

flavicomantum puerorum Apoth. 495.
lacrimantum hominum Perist. III, 181.
mirantum virorum Psych. 322.
obsecrantum christicolarum Cath. VIII, 79.
pereuntum divum Sym. I, 624.
tonantum flammarum Cath. VII, 95.
vagantum somniorum Cath. VI, 137.
volantum nervorum Apoth. 1016.

Accusativum pluralis numeri semel tantum in ‚is‘ fecit: Cath, VII, 212 „indigentis“ (Psych. 910 Dressel. unum codicem (α Alexandr.) secutus contra omnes scriptos et editos ‚omnis‘ pro ‚omnes‘ scripsit.)

Accus. plur. num. per ‚as‘ terminavit:
heroas Ham. 283 gigantas Ham. 449.
Nestoras Perist. X, 408. tripodas Apoth. 439 Senonas Sym. II, 678.

Nota:

De ablativo singularis numeri participiorum praesentis activi observavimus, eum quando loco adjectivi ponitur participium apud Prudentium constantissime in ‚i‘ terminari:
ardenti ostro Psych. 39. ardenti sulphure Psych. 43. gemmanti auro Sym. I, 486. lege latenti Apoth. 918. petulanti a pectore Ham. 849. (quod participium esse videtur cfr. Döderl. Etymol. 6, 268 σπαταλάω.) recalenti adspergine Perist. XI, 143. redolenti in fornice Sym. II, 836 (cfr. Horat. Satir. I, 2, 30. renidenti fronte Sym. II, 723. roranti pumice Apoth. 685. spumanti rictu Sych. 113. titubanti voce Apoth. 741 virenti colymbo Perist. XII, 36. — alia; quando vero participium genuinam vim et significationem retinet in ‚e‘ terminatur:
adventante Ditt. 97.
crepitante Cath. III, 13.
informante Ham. 206.

redeunte Sym. II, 722.
rutilante Cath. III, 142.
titubante Perist. X, 988.
trahente 82.
certante Ham, praef. 6.
degenerante Psych. 81.
exultante Psych. 604.
rimante Psych. 790.
rigante Cath. VI. 28.
tacente Perist. X, 399.
trepidante Psych. 65.

Declinationis IV.

In quarti ordinis declinandis nominibus quater tantum insuetum quid affectavit Prudent.:

Apoth. 65 pro impetu: legitur impete (cfr. Neue I. pag. 582.)

Apoth. 483 laurus Acc. plur. (suas) Perist. V, 111. et II, 532 ‚ossuum' (cfr. Priscian. 6, 13, 69. pag. 710: „quidam veterum et hoc ossum et hoc ossu proferebant" cfr. Neue I, pag. 358.)

Peristeph. X, 933 pecua (Sym. II, 874 pecudes) cfr. Neue I, pag. 358. et 586.

Cap. IV.

De genere nominum substantivorum.

Narboni, qui sicut et Croto, Frusino, Hippo, Sulmo plerumque masculino genere ponitur feminini generis adjectivum addidit Prudentius Perist. IV, 34:

. . . . . speciosa Narbo.

cfr. Neue I. pag. 657.

Nomina montium primi ordinis in ,a' et ,ε' desinentia feminina sunt, apud Prudentium tamen Perist. II, 540. legitur.

„Pyrenas ninguidos."

Nomina lapidum plerumque feminino genere usurpantur; apud Prudentium "chrysolithus" Psych. 854. „nativo interlitus auro" dicitur; „chrysoprasum" ibid. 865. alloquitur „conspicuum":

„te quoque conspicuum structura interserit ardens „chrysoprase" . . . .

„pulcerque topazon" (= topazus, topazios) dicitur ibid. 861.[44]).

Sym. I praef. 74 seps (serpentis genus, cujus ictus veneno putrefacit vulneratum) feminini generis est:

„seps insueta subit serpere flexibus"

(apud Lucanum IX, 723. „tabificus seps.")

Aspis vero masculini duobus locis:

Sym. I praef. 37: „excussum aspidem" (ita omnes scripti et editi praeter Obbarium) et Perist, X, 227: „sacratus aspis Aesculapii"

Sentix Sym. II, 1043; et rubus Apoth. 55. 70. feminina sunt (spinosa malorum sentix; sentam ru-

---

44) Aliae quae, apud Prud. commemorantur gemmae hae sunt: amethystina, orum (= amethystus) Psych. 860; beryllus 855; chalcedon (hebes) 857; crystallus (algens) 869; hyacinthus 857; iaspis 860; sapphirus 855; sardonyches (yx) 857; sardonus (?) 861 smaragdina prata 862. De marmoribus cfr. Sym. II, 246:

„et quae saxa Paros secat et quae Punica rupes,
quae viridis Lacedaemon habet maculosaque Synna,
nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum. (ultimo loco intelleg. purpureum aegyptium marm.)

bum, contorta rubus). Cath. V, 31. plurimi codicis „spinifero rubo“ exhibent, quod tamen ratione allatorum ex Apotheosi locorum in ‚spinifera‘ mutandum videtur et rerevera mutatum est ab omnibus editoribus inde ab Heinsio. — cfr. Neue I, pag. 647.

Plurali tantum numero usurpatum ‚vepres‘, de quo grammaticus de gener. pag. 102 (Haupt) „vepres generis feminini, ut Titus Livius: „has vepres“ masculinum est Sym. II, 1029: „spinosos vepres.“ ibid. 1040: „sentos vepres“ cfr. Neue I, pag. 706. —

Chalybs Sym. I, 50. masculinum; item corbis Ditt. 147. —

scrobis, is Perist. X, 1011 Sym. I, 641 (sub terram scrobe acta; scrobis atra) femininum est; penus, Sym. II, 918 (cfr. Perist. II, 159) masculinum est:

„penu pro virginis ulciscendo“

Neue I, pag. 590 asserit ter tantum nomen q. e. „specus„ neutri generis scriptum inveniri, quibus addendi sunt duo loci Prudentiani Perist. XI, 160: „per specus ambiguum ibid. 213: angustum . . . . illud specus . . . (Perist. V, 350. specum . . . . micuisse . . . . viderat.“ VI, 28. „adeunt specum“).

Subst. q. e. „vulgus“ bis apud Prudentium masculini generis est: Sym. I, 580.

„omnis, qui celsa scandit caenacula vulgus.“

Perist. V, 51. Acc. ‚vulgum‘ cfr. Neue I, pag. 679.

Sym. II, 505. subst. q. e. „numen“ masculinum est: „et creditur istis numinibus, qui transfugio meruere sacrari,“ ubi ad illos respexisse videtur, qui vocabulo „numen“ intellegendi sunt, nempe „deos.“ —

Pascha, quod nomen saepissime femininum est (cfr. Sedulius Carm. pasch. V, 1) neutrum facit Apoth. 348 „pascha tuum“ 355 pascha nostrum“ cfr. Neue I, pag. 600.

Communis generis haec apud Prudentium sunt nomina:

auriga, ae Psych. 413: „fertur resupina reductis nequiquam auriga loris . . . .“ cfr. Neue I pag. 629.

comes, Psych. 268: „fida comes“

hostis, Psych. 280:

„illa cruentatam correptis crinibus hostem“

eques Psych. 270: „hunc eques illa dolum“

incola, Ham. 942: „corrupta incola luxu“ (Neue I, 630)

martyr, Perist. III, 122.

pedes, Psych. 321 „non tamen illa pedes“ —

‚Succuba‘ Perist. X, 199. „florulentus“ dicitur, quam vocem pro „cinaedus“ scripsit, Hyacinthum ab Apolline violatum designans.

Cap. V.

De nominibus numeralibus.

1. Numerale q. e. quadruus, a, um = quadruplex Psych. 843 . . . „quam corpore toto quadrua vis animat“ apud alios scriptores non legitur nisi apud Ausonium idyll. 14. 15. „quadrua compita.“

Genetivum nominis numeralis q. e. ‚duo‘ ‚duum‘ fecit. Perist. XII, 29:

„dividit ossa duum Thybris sacer.“

(duorum Ham. praef. 45.); ejusdem nominis accusativum casum masculino genere per ‚o‘ fecit.

Apoth. 706: „. . . . panes jubet ēt dŭŏ pisces.“

ibid. 1005: „septenos decies conscendit Christus in ortus ēt dŭŏ “

ejus vero q. e. tres, in „is“ saepius declinavit accusativum: Apoth. 244 . . . . „ut ne separe ductu Tris faciam“

ibid. 132 . . . . . „tris vasta incendia anhelis accepere viros fornacibus."

Psych. 832. „tris occidualibus offert,
Janua trina fores."

Perist. III, 12. „tris hiemes . . . . attigerat."

2. Numeralia distributiva more adjectivorum q. d. proportionalium: simplus, duplus, triplus . . . (cfr. Neue II, pag. 121) saepius apud Prudent. singulari numero inveniuntur usurpata:

Cath. III, 20. trina pietas.
Cath. IX, 60. qualus ter quaternus.
Cath. XII, 67. trinam indolem.
Apoth. praef. I, 1. trinum specimen.
Ham. 72. trina subnixus ratione.
Psych. 833. janua trina.
ibid 849: occurrit trinum quadrina ad compita numen.
Sym. I, 414. septena ex arce.
ibid II, 48. fallendi trina potestas.
Perist. VI, 6. trino martyre.
ibid XIV, 123. centenus fructus.
Ditt. 193. bis duodena sedes.
Perist. X, 78. mense bis quino.

3. Adverbia numeralia, quae vulgo cum distributivis junguntur, Prudentius saepius cum cardinalibus, itemque distributiva cum cardinalibus conjungit:

Cath. VII, 38. „decem recursibus quater volutis."
Apoth. 739. „bis sex adpositi."
Apoth. 454. ‚ter centum' De scribendi ratione, qua nomen hoc in codicibus exaratum sit, nihil annotat Dressel. scripsit vero: „tercentum milia Divum", similiterque Sym. II, 573. „tercentum Fabii"; contra: Sym. I, 605 „ter centum . . . senes."
Ditt. 69 „ter centum vulpes."
Sym. II, 462 „bis sex in tabulis".

Perist. IV, 1. „bis novem."
Perist. III, 12. „tris hiemes quater attigerat."
Ditt. 21. „bis septem spicae."
ibid. 93. „ter quinque per annos."
Apoth. 983. „genus per sex septena virorum nomina descendens."
ibid. 992. „cui nihil ex septem septenis defuit." —

Denique distributiva pro cardinalibus saepius adhibuit:
Psych. 850. „discipulis duodenis."
Sym. II, 424. duodeni fasces.
Cath. VII, 121. „trinis processibus."

Peristephanon autem libro IV, 49. promiscue cardinalibus et distributivis utitur

„Singulis paucae, tribus aut duobus"
forsan et quinis aliquae placebunt
testibus Christi." —

Quaestio II.

De aliis orationis partibus.

Cap. I.

De pronomine.

Dativum casum pronominis primae personae per contractionem factum semel observari: Perist. X, 137: „nec mi remissus leniter peperceris". — Forma „tute", (de qua agit Priscianus 12, 5, 23 pag. 947: „nominativo autem (secundae personae) ideo non additur (met), ne dubita-

tionem faciat, cum etiam verbum intelligi possit, si dicamus „tumet.“ Itaque brevem „te“ syllabam pro “met“ ei addere solent auctores“), quater legitur:

Apoth. 674. „tute ipse fatebere numen.“
Perist. II, 261. „Tute ipse, qui Romam regis.“
ibid. IX, 69. „tute ipse magister . . . . dedisti.“
ibid. X, 957. „vel ipse tute. . . .“

Vetustum dativum sing. et plur. num. pronominis demonstrativi q. e. „ille“ „olli“ et „ollis“ quater protulit Prudentius; et primum quidem Ham. 139 feliciter, ut opinor; nam „magna sonante ore“ „Marcionitam Deum“ describens:

„ars olli captare feras . . .“ ait, caet; similiter eodem libro 730:

„angelus hanc hospes legem praescripserat ollis“; ibid. 544. „ignitum quoniam Deus indidit olli Ingenium.“ Apoth. 305. „primi scriptoris“, Moysis, sententiam afferens:

„Fecit, ait, condens hominem Deus et dedit olli ora Dei. . . .“

Quae Perist. X, 265 legitur forma „ollis“:

„si numen ollis, numen et porris inest.“

non est dativus pronominis vetusti „ollus“ ut in codice Ratisbonensi supra „ollis“ annotatum est („pro illis“) et secunda manu in codice α (Alexandrino), quod Giselinus probare videtur, scribens in commentario; „si illis inest numen, et his“ —; sed est dativus plur. numeri substantivi primi ordinis q. e. „olla“ cfr. Dressel. ad h. v.: „aut quia ollae in focis stabant et foci, notante Cellario, sacri erant, aut quia ollarum forma divorum imagines exprimebat.“

Quamquam Priscianus 12, 5, 22 pag. 946 dicit regulam exigere, ut pronominis demonstrativi q. e. „idem“ tam nominativus pluralis masculini, quam dativi et oblativi

omnium pluralium per duas ,i' vel per ,e' et ,i' scribantur, tamen Prudentius per unam ,i' fecit nom. plur. Perist. V, 92:

„divique et idem daemones"

et ablat. plur. „isdem": Cath. XII, 86. Sym. II, 603. 799. 805. alia; cfr. Neue II, pag. 143.

Similiter pron. relat. „qui, quae, quod" dativus plur. contr. „quis" legitur: Ham. 100. 869. Psych. 545. Perist. X, 255. (bis);

ablativus plur: Cath. III, 27. Ham. 286. Psych. praef. 43. Sym. I, 165. Sym. II, 584. 800. Perist. X, 949. Apoth. praef. 41.

Genitivus casus pronominis interrogativi (patrii) cujas, atis, (ποδαπός) legitur Psych. 708: „missu cujatis venerit?" cfr. Priscian 17, 19, 142. 143 pag. 1095 et Neue II, pag. 171.

Pro „quisquis" vel „quicunque" quisque saepius occurrit, ut saepissime apud Plautum, (quem imitatus esse videtur una cum Ausonio et Siodonio cfr. Neue II, pag. 179. —) et Terentium fit, qui in I, 1, 7. Hecyrae:

. . . . „ne te cuiusquam misereat, —
quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis."

Consilium eorum qui ,quisqui' elisa ,s'littera scribere voluerant, minime mihi probandum, aut certe supervacuum videtur, notum enim est et Horatium Car. IV, 1, 17. 2, 34. Ep. ad Pison. 359 „quandoque" pro „quandocunque", et alios alia hujusmodi scripsisse.

Exempla autem, quae observavimus, haec sunt:

Apoth. 22. „Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso Infusum vidit natum."

ibid. 1060. — „quisque deum Christum vult dicere, dicat". . . .

Cath. VII, 216: „satis beatus, quisque dextram porrigit."

Ham. 867: „Errat, quisque animas . . . . aestimat."

Psych. 784: „Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis.“

Sym. II, 477: „Quisque putat fato esse locum, sciat . . .“

Perist. X, 35: „Christum negaret, quisque mallet vivere.“

ibid. 129: „Cui (Deo) quisque servit, ille est vere nobilis.“

ibid. 214: „Junonis iram sentiet quisque ut Deum signo aut sacello consecrarit Herculem.“

Pronomen interrog. ‚quis‘ saepius cum substantivo junxit (cfr. Neue II, 160. Wagner quaestiones Vergil. 22, 3.)

quis somnus Ham. 58. (108 et 109 quis = uter).

quis honos Ham. 686.

quis furor Psych. 351.

quis novus error. Perist. X, 404.

quis locus Psych. 220.

quis vultus Perist V, 129.

quis stupor ibid 581.

(Sym. I, 43 apud Dress. legitur quis pro relativo qui.)

„Qui“ abl. = quo legitur Ham. 59. Perist. 524: „qui fit, praevalidas quod . . . .“

Cap. II.

De verbo.

§. 1.

Verba novata.

De syntaxi Prudentiana in aliud, opportunius nobis tempus differendam esse disputationem valde dolemus, quippe quae multis de causis maxime digna sit, ut diligen-

ter observetur, ad illustrandum linguae latinae illius temporis genium et ostendendum, in quibus potissimum Prudentius a genuino rectoque latine dicendi genere discesserit atque aberraverit. Ita ex. gr. si de verbis instituenda esset quaestio, uberrimam disputationis materiam variae, quibus utitur, constructiones praeberent:

per cachinnum solvi Perist. X, 226.
per coagula coire Cath. III, 68.
permeare sub bifido aequore Cath. V, 68.
virtus sub pace cadit Psych. 699.
vanescit almo trita sub jejunio Cath. VIII, 209.
nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis Cath. IX, 51.
stupuit tyrannus sub pudore fluctuans Perist. X, 676.
numen reciso mitigans ab inguine Perist. X, 1067.
infusis ad pingue lutum mollire fluentis Sym. II, 934.
pontum persultare Cath. V, 86.
vox persultat Ham. praef. 10.
haec persultanti Perist. XI, 77.
alia sexcenta, quae affere longum est neque huc pertinens.

Silentio tamen praeterire hic non possumus propriam quandam Prudenti dicendi rationem, qua epitheton (adjectivum) pro fixo, (substantivo) seu rei nomine ita adhibet, ut plerumque id affectasse dici possit. Ex innumeris paucissima annotare juvat:

prospera nostra Psych. 696.
semetra dissona ibid. 829.
tenerum decorum ibid. 886.
sua prisca Sym. I, 293.
ne suavia fluxae conditionis amet Sym. II, 150.
ardua caeli Sym. I, 148.
ardua famae ibid. 281.
mea frivola ibid. 645.

sua fortia Apoth. 1061.
sua carnea ibid. 969.
grande suum Ham. 81.
sua nubila Ham. 89.
meum sacrum Perist. VI, 57.
triste longum Perist. XIV, 107.

Sed jam, ne limites disputationi nostrae praescriptos transgredi videamur ad propositum redeuntes, quae de verbi usu Prudentiano observavimus, optime, quantum fieri potest, singulas species distinguentes, proferamus. — Itaque primum verba Prudenti propria enumerare lubet. —

algesco Apoth. 142. audacter dictum:

„rabiem flamamrum algescere cogit.“

antevideo Apoth. 804.
calculo Perist. II, 131.
circumsalto Sym. I. 135.
coapto Ssych. 557.
compagino Perist. X, 890.
concrepito Perist. XI, 56.
condomo Cath. VII, 98.
confoedero Perist. II, 437.
confrequento Perist. I, 9.
effigio, Cath. X, 4. Ham. 118. Perist. XI, 126.
elaqueo Sym. II, 147.
exfibulo Psych. 633.
exsinuo Perist. XI, 222. cfr. Auson. idyll. 14, 29.
ignio Perist. X, 1078.
oppalesco Perist. I, 92.
pullulasco Perist. X, 882.
resulco Perist. V. 144.
ustuire Perist. X, 885.

§. 2.

Verba inusitata terminatione et significatione.

1. Plautus et Lucretius verbo saepius utuntur q. e. clueo, cluēre, Prudentius cum Seneca, Symmacho, Ausonio idem verbum secundum tertii ordinis verba flectit et cluĕre facit. Sic Cath. IX, 107: (de Christo loquitur)

. . . dexter in parentis arce cluis

Psych. 2: (de eodem)

qui patria virtute cluis

Sym. I, 417: (de Roma)

„praedivite cultu Illustrata cluis"

Sym. II, 584: (de eadem)

„. . . quîs gloria fotibus aucta, Sic cluat . . ."

Sym. I, 504 unus codex (Rottendorph) fluant, duo (Bongarsianus Widmannianus) cluant supra scriptum habent, alii meliores:

„artificum magnorum opera; haec pulcherrima nostrae ornamenta fuant (vel fiant)"

Neue II, pag. 327 ubi de loco nostro s. v. cluere agit: „nach vielen Handschriften, inquit, cluant." quod minime verum est, quum duorum tantum codicum lectio sit „cluant" et quidem supra scripta et unius „fluant", quod quidem ex „cluant" aut „fuant" fluxisse videtur. Ego hic cum Dresselio „fuant" scribere malim. (Dressel. variae lect. v. 504. Giselinum scripsisse dicit „fuant, vel fiant", qui tamen scripsit „cluant", nihil annotans.)

Si quid proprio Marte audere liceat aliud inusitatum verbum Prudentio tribuerem, quod est „cludere" pro vulgato claudere, quamquam nulli editori probatum, neque manu scriptorum codicum auctoritate commendatum, quod tamen „forte rectum esse" jam Dresselius suspicabatur (vide notulam ejus versui, de quo infra agemus additam).

Peristeph. XII, 48. omnibus scriptis et editis (si Fabrici, Giselin. et ed. Amstelod. 1613. excipias, ubi „clausit") legitur: „princeps bonus has sacravit arces

„lusitque magnis ambitum talentis."

solus codex a (vaticanus 3859) exhibet „elusitque", quem Dressel. „elegantem optimasque praebentem lectiones" dicit. Cellarius interpretans: „lusit, inquit, idem est quod pinxit„ versumque hunc comparat cum Perist. XI, 125. (est vero 130):

„Docta manus virides imitando effingere dumos
luserat et minio russeolam saniem."

Verum quidem est hoc loco ‚ludere' idem esse quod „pingere" vel potius „imitari", sicut apud Ciceronem legitur: „summum luctum penicillo imitari" sed primum additur, quo lusa sit „russeola sanies", nempe „minio", deinde utroque versu de imagine, in pariete picta agitur, ut facile intellegas verbum ludendi quid significet; altero tamen loco „lusit ambitum" et audacius et intellectu difficilius dictum esse videtur, itaque quod in codice a scriptum est ‚elusit' in „clusit" facillima emendatione mutandum esse censeo, (cujus verbi exemplum Dresselius affert ex Neronis nummo:

„Clusit Pace P. R. Ubique Parta Janum")

non quidem sensu proprio „obserrandi" sed translato „perficiendi" cfr. Stat. Theb. XI, 58 „claudere bella." Giselinus, (qui in textu „clausit" scripserat, in commentario „lusit") interpretatur: „adeo liberaliter erexit, ut sumtibus pepercisse non videatur." —

2. Nonnulla habet verba per syncopam truncata: porgere Sym. I, 275. praeminere Cath. XI, 109. Perist. X, 349. XII, 12. comprendere Apoth. 7. (comprendier) 25. 808. 1028. Ham. 834. Perist. IX, 23. Ham. 92. (comprendat.) (cfr. etiam deprendere Psych. 264. Sym. II, 430. deprendi Sym. II, 76. de-

prendit Ham. 336. deprenditur Apoth. 496. deprenderet Psych. 655.)

3. Item alia inusitata ut:

vio Apoth. praef. 15:

„manus latronum quue viantes obsidet"
(obsidet = insidiatur viantibus).

Ham. 208 . . . . „cum incautum spoliare viantem
forte latro aggressus . . . ."

Sym. II, 773. ‚iter viandi Cath. V, 65. „viantibus" cfr. Quint. VIII, 6. 33: „‚vio' pro ‚eo' infelicius fictum."

praelambo (praeterlambo Amian. Marc:) Ham. 357:

„liventes liquor incorruptus arenas praelambit"

Cath. V, 120: praelambens fluvius." cfr. Horat. Satir. II, 6, 109. Tacit. Ann. II, 6. „qua Germaniam praevehitur."

praeclueo Cath. IV, 37. „praecluens potestas."

4. Simplicia pro compositis:

Cath. I, 19. suadet quietem linquere.
ibid. VII, 162. jejuna mensas pubis omnis liquerat.
ibid. X, 74. cyathos et fercula liquit.
ibid. 168. quam liquerat exul et errans.
Psych. 318. tepentia linquens Pocula.
ibid. 455. Luxus edax . . . liquerat.
ibid. 783. ne stabilem linquat sol conscius iram.
Ham. 844. liquerunt miseri . . . pericula.
ibid. 941. cum corporis hujus Liquerit hospitium.
Sym. I, 138. liquerat incesto juvenis satiatus amore.
Perist. I, 34. Caesaris vexilla linquunt.
ibid. 109. linquit illaesam rapinam.
ibid. XI, 151 ostia linquunt.

Sequor pro assequor Sym. II, 757:

„Viva tibi princeps debetur gloria, vivum
virtutis pretium, decus immortale secuto."

Pando pro expando: Sym. praef. I, 483:
„vix panso poterat currere carbaso“ [45]).
Cath. XII, 170. „pansis in altum brachiis“
Perist. II, 513. „sueverat.“

5. Composita pro pro simplicibus:
confieri Apoth. 1031.
conviolo Psych. 398. Perist. VI, 56.
perarmo Cath. VI, 86. VII, 93. VIII, 43.

6. Intransitiva q. d. verba activam vim habent apud Prudentium ut:
assuesco Sym. I, 540 . . . „remque Quirini
adsuescit supero pollere in saecula regno.“
cfr. Horat. Sat. II, 2. 109:
„assuerit mentem corpusque superbum“
consuesco Apoth. 725:
. . . „non sicut sculptor ab aeris
rudere decoctam consuescit vivere formam.“
insuesco Cath. IX, 95:
„mortuos olim sepultos, ut redire insuesceret.“
cfr. Horat. Sat. I, 4. 105:
„insuevit pater optimus hoc me.“

7. Verba impersonalia personalium loco ponit: Cath. III, 79. loco pulcherrimo:
„Arbor onus tremefacta suum
deciduo gravis imbre pluit.“
Cfr. Apoth. 316: „A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas.“

---

45) „carbaso panso“ a recto casu „carbasum pansum“ seu carbasus pansus, quod utrumque rarius. Psych. 410 „cornibus oppansis.“ cfr. Gellius XV, 15, „ab eo, quod est pando passum veteres dixerunt, non pansum et cum ‚ex‘ praepositione expassum non expansum.“ cfr. Plautus Miles. gl. II, 4. 7. „dispessis manibus.“

Sym. I, praef. 84. „hujus, si potis est jam miserescito."
Apoth. 776: „nec ferre pudescit (Christus.)"
Ditt. 28: „agnoscunt fratrem veniaque pudescunt" (cfr. Cath. II, 26: „piget, pudescit, paenitet").

Resultandi verbo transitive utitur: Perist. X, 979: „hymnis resultat martyrem."

„Sordet" eodem modo, quo: placet, pudet: dixit impersonal. „vel si gentiles sordet venerarier umbras" Ham. 104.

8. Vivisco pro vivesco Apoth. 902. optimarum codicum lectio est; dirigesco pro derigesco Apoth. 617. Ham. 743. omnium; dispuere pro despuere quin Prudentiana lectio sit cum Obbario non dubitat Dresselius, (cfr. notam v. 368. Psychomachiae „ubi tamen in textu, „despuit" scripsit; „dispuit" Apoth. 1084. Sym. I, 579. Perist. II, 188.)

Heinsius Apoth. 445. 528. 529. etiam ‚distruere' pro ‚destruere' — alii: ‚dissico' pro ‚disseco' Perist. II, 209. Cath. I, 97. ‚inervo' pro ‚enervo' Cath. VIII, 64. Sym. II, 143. alia, Prudentianas formas esse volunt, — qua de re contra tanti ingenii viros disputare reverentia vetat —, si tamen quid videmus, minutiora ea sunt, quam quae disputatione longa digna habeantur. —

Participia perfecti temporis deponentium q. d. verborum passiva significatione haec observavimus:

comitatus Psych. 163: „egregio comitata viro . . ." (802. active: „Concordia germanum comitata Fidem." cfr. Cath. X, 44. „animas comitata priores.") Apoth. 532: „angelicis coetibus comitatum templum." Perist. III, 48: „angelico comitata" choro (virgo) cfr. Neue II, pag. 204.

dimensus Ham. 483: „deserit adscriptam dimensa

in iugera sortem." Psych. 827: „spatiis percurrit arundo Dimensis" cfr. Neue II, pag. 225.

remensus Ham. 850: „polum remensum" Perist. V, 494: „vectam remenso aequore"

medicatus Ham. 538. et 539: „medicato vulnere" „medicata sagitta" (= infectus cfr. Hor. Carm. III, 5, 28: lana medicata . . . . fuco).

meritus Perist. XIII, 95: „meritas grates"

emeritus Sym. II, 1084: „transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas"

mentitus Ham. 88: „igne repercusso mentitos spargit in orbes" Sym. II, 646: „mentitumque gravis personae inducere pondus."

nundinatus Perist. X, 969: „nundinatum hunc arguit" (= pecunia corruptum.)

Quia de participiis agimus non abs re erit commemorare Ditt. 91. partic. perf. „praecepta" inusitatius dictum esse pro „jussa":

„tunc patrios cantare modos praecepta (gens Hebraeorum) — recusat."

Perist. XI, 82. sacranda = sacratura:

„si foret extinctum propere caput (Hippolytus) omnia vulgi Pectora Romanis, sponte sacranda Deis."

Apoth: 1000: „stirpe recenseta"

Perist. XI, 147: „cumque recensetis . . . partibus" multis manu scriptis codicibus legitur (Dressel. Ap. 1000. recensita P. XI, 147. recensetis)

Rarissimi quoque usus sunt participia futuri activi „luiturus" Psych. 535: „obliso luiturus iugera collo" (Judas.) abluiturus Apoth. 684: „(agmina) . . . maculas puro abluitura natatu." cfr. Neue II, pag. 459.

Deponens v. activa forma protulit:

„liber vagat per auras“ Cath. VI, 29.
Activo deponentis terminationem addidit:
„poscunt, litantur, indicant“ Perist. II, 567.
cfr. Sym. I, 237. II, 842. Perist. X, 354, 1010. Psych. 784.

§. 3.

De verborum declinatione.

Saepius jam et priore et altera disputationis nostrae parte monuimus Prudentium vetustae locutionis amantissimum esse, cujus rei documenta attulimus: — ‚aquai‘ ‚olli‘ ‚induperator‘ alia; hoc loco ad eandem opinionem comprobandam afferre juvat octies decies ab eo usurpatam obsoletam formam infinitivi praesentis passivi, quae in ‚er‘ desinit. Clarissimus Neue, vir de latino sermone explorando optime meritus, II, pag. 309. sqq. ubi de hac inf. forma agit ne verbo quidem hujus Prudentianae locutionis mentionem fecit, praeter usum et consuetudinem, quod qui factum sit mihi quidem non apparet.

Sym. I, 423. circumferrier
„obscuras video tibi curcumferrier umbras“.
Apoth. 7. comprendier
. . . „nec enim comprendier illa
majestas facilis sensuve oculisve manuve“.
Perist. XI, 86. dicier
„affirmat dicier Hippolytum“.
Apoth. 474. dispergier
„accitas video longe dispergier umbras“.
Psychom. 191. frenarier
„impatiens madidis frenarier ora lupatis“.
Ham. 649. grassarier
„longoque sinit grassarier usu“.

Perist. X, 345. immolarier
„quod mandet illi nectar immolarier".
Apoth. 905. innectier
„sed mox ut gravido jussa est innectier arvo".
Perist. X, 651. luctarier
„sed quia profunda non licet luctarier
ratione tecum".
Psych. 357. innectier
„his rigidas nodis innectier ulnas."
Perist. VII, 54. negarier
„ascensumque negarier".
Psych. 214. popularier
„popularier hospite aratro".
Perist. X, 939. profarier
„vel exitu oris cymbalis profarier".
Cath. V, 148. spargier
„passim purpureos spargier hesperos".
Sym. II, 587. subjungier
„subjungier uni Imperio".
Ham. 106. venerarier
"vel si gentiles sordet venerarier umbras"
Perist. III, 211. „sic venerarier ossa libet".
Psych. 39. vestirier
„floribus ardentique jubet vestirier ostro."

Notandum: circumferrier, comprendier, dispergier, grassarier, innectier, (bis) subjungier, venerarier, vestirier, quinto pedo heroici versus posita, addita bissylaba voce venuste et non sine quadam arte hexametrum claudere, quod fere semper apud Lucretium fieri Staedlerus „De sermone Lucretiano" (dissert. Ienae 1869.) observavit.

In declinando verbo q. e. ‚sum' et compositis vetustioribus formis saepius utitur Prudentius et quidem:

Perist. II, 569: „ceu praesto semper adsies", quae plenior pristinaque forma non solum in simplici verbo ‚sum', sed etiam in compositis Catoni, Plauto, Terentio usitata est, cfr. Neue II, pag. 463.

Sym. I, 504: „haec pulcerrima nostrae ornamenta fuant patriae" (vide supra s. v. cluere. Neue ibid.)
Apoth. 182: „nec vocitare patrem potis es"
Psych. 88: „nec mea post Mariam potis es perfringere jura"
Apoth. 79, 80: „cerni potis est, qui nascitur, at non innatus cerni potis est."
Sym. II, 982: „nec potis est tenuem telluri affigere fibram"
Sym. I, 331: „nec torquere facem potis est"
Ham. 37: „nec dinumerari Tantum unus potis est" (de Deo loquitur).
ibid. 534: „cujus iter nullus potis est comprendere visus"
ibid. 669: „Invitone aliquis potis est peccare Tonante"
Sym. I, praef. 84: „hujus, si potis est, jam miserescito"
Perist. III, 102: „si potis est"

Archaismum etiam affectasse videtur primam personam sing. futuri exacti activi in ‚so' pro ‚ero' et conjunct. perf. actvi modum in ‚sim' ‚sit' pro ‚erim' ‚erit' terminans: Jta: faxo Psych. 249: „faxo ego sub pedibus stipularum more teratur." Perist. V, 101:
„Iam faxo jus praetorium conviciator sentiat", quod sollemniter et cum firma quadam certitudine eventus utroque loco prolatum est. Perist. X, 107. ad exprimendum summum desiderium: „quod pater faxit Deus." —
Ham. 80: „nec conferre Deo velut aequiparabile quidquam ausim."
Sym. I, 646: „non ausim conferre pedem"
Ham. 47: „Quis dixisse . . . ausit"
Perist. V, 414: „Quis perfidorum credere ausit."

Infinitivus praesentis „potesse“ Perist. X, 803:

„dissipare tam diu
vos non potesse fabricam corpusculi.“

2. Nonnulla verba secundi ordinis more tertii declinat metri causa terminationem secundae personae ‚es‘ in ‚is‘ permutans:

Perist. V, 10: „collucis insigni stola“
ibid. 393: „sic frendit et corpus sacrum.“

Formam „excellet“ pro „excellit“ Apoth. 560: „duris excellet viribus istud“ nonnulli codices, in quibus Laurentius, Puteanus (Obbario probatam) exhibent; Dresselius quidem cum Heinsio, Cellariio, Arevalo „excellit“ scripsit, ipse tamen conferri jubet Diomedem pag. 371. ita hac de re loquentem: „ . . verumtamen Macer Aemilius Ornithogonias secundo: cum laude excellet omnis.“ Ciceroni eandem formam tribuit Priscianus pag. 869: „Cicero vero in primo epistularum ad filium: quare effice et elabora ut excelleas.“

Infinitivo modo verbi q. e. „fervere“ vocalem, ‚ĕ‘ corripit Sym. I, 162:

„quoniam regalibus aula
fervĕre tunc vitiis solita est.“ (cfr. Quintil. I, 6, §. 7.) Similiter imperativo Ham. 624: „sanctum lector percensĕ volumen“ Perist. V, 60. „extorquĕ si potes fidem.“

Verbum ‚densere‘, pro ‚densare‘ his locis protulit: Cath. V, 53: „densetur cuneis turba pedestribus“ Ham. 408: „surgit in auxilium Chananeus et agmina denset.“ Sym. I, praef. 21: „et densere foci congeriem studet.“

Lavandi verbum tertii ordinis more declinat: Perist. III, 190:

„gurgite moenia pulchra lavit“
cfr. Hor. Carm. II, 3, 18:

„villaque flavus quam Tiberis lavit“
qua forma Hor. ubique in lyricis utitur.

Verbi q. e. persono perf. act. formam personavi pro — ui observavimus Epil. 34:

„juvabit ore personasse Christum“

Participium perfecti passivi pro vulgato „increpitus“ increpatus fecit. Cath. VII, 195:

„sed increpata fraude post tergum ruit.“

Neue II, pag. 369. haec scribit: „Wie crepui so auch concrepui, discrepui, increpui. Doch Prudent. Peristeph. X, 760: „crepasset“ — sine dubio Heinsi auctoritate commotus, quem Cellarius et Obbarius secuti sunt, nondum tamen totam litem obtinuisse mihi videntur. Puteani quidem codicis (inde a Perist. V, v. 142. usque ad finem libri Peristephanon) extrema pars misere deperiit; in Ratisbonensi quid exaratum fuerit apud Dresselium non inveni, qui proxime his accedunt Laurent. Prag. Alex. (α) Vatic. (m), nonnulli alii „cremassent“ exhibent:

„videbat ipsos apparatus funerum
praesens suorum nec movebatur parens,
laetata quotiens aut olivo stridula
sartago frixum torruisset puberum,
dira aut cremasset laminarum impressio.“

et recte quidem, nam candentes laminae corpori impressae non ‚crepant‘ sed ‚cremant‘, et ad exprimendam duri cruciatus vehementiam majoris profecto momenti erat describere, quomodo „decoqueretur exustum latus“ (Perist. II, 398.) quam quomodo „laminae creparent“, — saneque majore, afficiebatur dolore mater filium crematum videns, quam laminarum crepitum audiens. —

Verbi defectivi q. e. ‚fari‘ hae apud Pr. leguntur formae: Perist. VI, 43: „haec fanti placidus refert sacerdos“, ibid X, 924: „effare quidvis“,
ibid II, 357: „haec fante praefecto“,

ibid. X, 3: „largire comptum carmen infantissimo."
Infit = dixit Apoth. 585. 804 Psych. 510.
Perist. X, 123. Defit = deficit Apoth. 812:
„cui linea defit ultima".
Perist. IX, 66. „quod defit aevo suppleat crudelitas".
Epilog. 16: „nec aere defit expolita pelvis."

Restat, ut nonnulla addamus de ratione et modo, quo Prudentius in declinandis verbis breviores formas pro plenioribus usurparit. Itaque, ut breves simus, plurima verba, quae praeteritum perfectum, et quae ab eo derivantur tempora et modi, in „vi," „verim," „veram," „vissem," „visse" terminant frequenter syncopam per secundas et tertias patiuntur personas: primo ordine persaepe, tum etiam tertio; rarius secundo et quarto.

Dedecorasti Perist. IV, 112. effigiasti Cath. X, 4. locasti Perist. II, 418. notasti Perist. IV, 90. parasti Perist. III, 58. armarunt praef. gen. 14. dicarunt Apoth. 641. evolarunt Perist. I, 83. piarunt Sym. II, 678. sacrarunt ibid. 972. vocitarunt Ditt. 181. Cognostis Perist. X, 341. nosti Cath. VI, 147. Apoth. 899. norunt Cath. I, 46. Apoth. 774. Perist. V, 85. spreruntDitt. 123.

Audieris Apoth. 744. calcarit Apoth. 664. crearit Ham. 647. Sym. II, 96. immolarit Perist. I, 95. labarit ibid XI, 72. novarit Sym. II, 311. probarit Perist. X, 665. putarit Sym. II, 163. raptarit ibid. 55. stigmarit Perist. X, 1080. signarint Sym. I, 596. velarit Apoth. 333. vorarit Apoth. 1075. Norit Apoth. 384. 969. Sym. I, 543. Perist. X, 887. —

Audierat Psych. 318. afflarat Perist. II, 493. animarat Psych. 37. calcarat ibid. 269. clamarat Apoth. 417. dicarant Cath. IV, 44. fumarat Psych 808. intrarat ibid. 684. levarat ibid. 578. macularat ibid. 101. mandaram Sym. II, 261. monstrarant Sym. I, 201. pararat Psych. 874. perforarat Perist. IX, 60. seda-

rat Sym. I, 4. simularat Psych. 266. sociarant Perist. XI, 95. spoliarant Apoth. 326. variarat Psych. 856. vastarat Sym. II, 701. — Flerat Perist. X, 705 Consuerant Sym. I, 537. decrerat Apoth. 1038. norat Apoth. 593. 689. Ham. 829. Sym. II, 539. —

Audissent Apoth. 323. scissent Sym. I, 288. cremasset Perist. X, 760. forassem ibid. 986. objectasset Psych. 503. rigassent Apoth. 321. turbasset Apoth. 494. — Nosset Cath. VII, 103. Ham. 194. nossent Perist. XIII, 19. — Inservisse Sym. II, 339. redisse Cath. I, 68. subisse Cath. VI, 127. servisse Perist. X, 998. transisse Sym. I, 588. (periisse Cath. X, 148. periit Apoth. 945).

Affirmasse Apoth. 111. calcasse Ham. 472. conviolasse Psych. 398. damnasse Sym. I, 93. dicasse Sym. II, 365. fragrasse Cath. XI, 68. habitasse Sym. II, 299. illustrasse Sym. I, 553. informasse Apoth. 304. 689. intimasse Perist. X, 1111. nasse Sym. I, praef. 60. personasse Epilog. 34. plasmasse Apoth. 865. pugnasse Sym. II, 652. pervolutasse Apoth. 957. radiasse Apoth. 30. remeasse Cath. III, 200. resignasse Sym. I, 92. revocasse ibid. 91. sedasse Psych. 697 servasse Sym. II, 366. titubasse Sym. II, 363. tolerasse Ham. 463. versasse Perist. X, 972. Nosse Cath. III, 116 ibid. VI, 44. Apoth. praef. 55. Apoth. 41. 122. 162. 241. 855. Sym. II, 201. 235. 737. Perist. X, 410. XI, 12.

Rarius apud Prudentium secundae personae singularis numeri terminatio verborum passivorum et deponentium ‚ris‘ in „re“ mutata invenitur; et quidem temporis praesentis indicativi semel tantum Perist. V, 154:

„. . . si meam
te rere poenam sumere“

(cfr. Plauti Trinum. 2, 4, 14 (v. 415): nisi tu ínmortale rére esse argentúm tibi)

Conjunct. praes. contemplere Sym. I, 451.
mereare Apoth. 538. Perist. X, 107.
mirere Ham. 863. Perist. XI, 23.
Praeter. Imperf. rebare Per. X, 958.
Futuri temp. fatebere Apoth. 674.
mirabere Sym. II, 718.

(Notandum omnes allatas formas verborum deponentium esse, qua de re cfr. C. F. W. Müller Philolog. IX, pag. 598.)

feriere Perist. III, 116.
laniabere ibid. 117.
sociabere Sym. II, 748.
vorabere Perist. X, 814.

Denique commemoranda est mutatio terminationis tertiae personae pluralis numeri praeteriti perfecti „erunt“ in „ere“, quae epicis poetis et rerum gestarum scriptoribus adamata, Prudentio praecipue in tertii ordinis verbis declinandis usitatissima est. Primae conjugationis unum tantum exemplum observavimus: informavere Sym. I, 55.

Secundae: docuere Apoth. 299. 538. 647.
meruere Sym. II, 505.
timuere Apoth. 626.
videre Cath. XII, 61.
Quartae: devenere Ditt. 53.
iniere Apoth. 713.
prosiluere Perist. XIII, 83.
sensere Cath. XII, 70. Psych. 640.
sepsere Perist. XIV, 93.
Potuere Sym. II, 361.

Tertiae: accepere Apoth. 133. adjecere Sym. I, 251. cecidere Sym. II, 501. cecinere Sym. II, 713. cessere Cath. XII, 30. constituere Sym. I, 300. Ditt. 60. convertere Psych. 700. didicere Ham. 221. Sym. II, 956. dixere ibid. 488. duxere Sym. I, 298. expavere Psych. 409. fixere Perist. IX, 57. gessere

Perist. X, 753. immersere Sym. I, 294. instruxere Perist. XI, 105. mansuevere Apoth. 430. peperere Cath. III, 183. pepigere Perist. II, 137. petiere Ham. 956. respexere Ham. 842. tulere Perist. VIII, 4. vexere Cath. XII, 186. Sym. II, 576. vertere Psych. 631. Perist. X, 963. vicere Sym. II, 747. vixere ibid. 198. —

Caput III.

De adverbio.

Hoc quoque capite commemorunda erunt plura a Prudentio novata, quippe qui non ignorans, quantum ad poesis vim augendam, ad subtiles sententias illustrandas, ad imaginum nitorem tollendum valeat idoneus adverbiorum usus saepissime ea adhibuerit, atque ubi se linguae latine copia destitutum vidit, novas finxerit voces, non quidem inaudito more, sed ad exemplum veterum recurrens. Notum est veteres plerumque supini vel participii perfecti passivi terminatione recisa in ejus locum ‚im' terminationem substituere, atque hoc modo adverbia formare solitos esse (cfr. Leo Meyer Zeitschrift f. vergl. Sprachforschung 6, 4 pag. 301. sqq.) ex. gr. statim, strictim, alia. Eodem modo Prudentius fecit:

congregatim Cath. VII, 143.
segregatim Ham. praef. 39.
permixtim Perist. XI, 192.
digestim Perist. II, 129.
scissim Ditt. 34.

Rariores Varronis, Lucreti, aliorum, formas in „im" desinentes has adhibuit:

cumulatim Apoth. 717.
mixtim Apoth. 1008. Ham. 78. Sym. II, 420. Perist. VI, 141. X, 848.

junctim Apoth. 798.
frustatim Psych. 720.
minutatim Perist. XI, 119.
undatim Perist. X, 857.

Prudentiana insuper sunt adverbia:
extrorsum Cath. IX, 74. (cujus tamen meminit Charisius 2, 14, 18 pag. 168.)
fabriliter (artificiose) Apoth. 519.
terrulente Perist. X, 378. ab adjectivo Prudentiano terrulentus declinatum.
usquequaque Perist. X, 975.

Rarioris usus haec sunt:
competenter Perist. X. 118.
altrinsecus Perist. V, 53.
intrinsecus Perist. II, 240. V, 157.
peregri Perist. IV, 89.
publicitus Perist. XIV, 38.
caelitus Cath. XI, 79. Apoth. 553. Psych. 65. Perist. X, 430. XIII, 10.
medullitus Ham. 391.
mage Sym. I, 517. II, 6. Perist. III, 9. XIII. 19.
sedule Perist. V, 407.[48]) Cfr. Col. 9, 9, 1 „custos sedule debet circumire alvearia"
sectius Sym. II, 792. (non ut Neue II, pag. 521, vult „setius" adversantibus codicibus). Ham. 925 Puteanus et tres alii habent „setius" caeteri secius." cfr. Wagner Orthogr. Verg. pag. 472. et Fleckeisen Rhein. Mus. VIII, p. 221. Weihrauch Philol. XXX, p. 631.

Neque tamen hisce adverbiis vel fingendis, vel ex ve-

48) adverbiorum in „e" exeuntium atque ab adjectivis secundi ordinis declinatorum ‚ĕ' his corripuit Prudent. locis:
Cath. III, 20. „trina supernĕ regat pietas.
Perist. XII, 39. „vitreas pictura supernĕ tingit undas."

terum scriptis protrahendis, contentus, quum id praecipue ageret, ut quod verbo designari vellet, id fortius legentis animum afficeret, neutra adjectiva (sing. n.) adverbiorum loco saepius adhibuit graecos imitatus. Neue II, pag. 504. docet distinguenda esse adverbia in ‚e' exeuntia, quae ad adjectiva in ‚is' desinentia pertinent ex. gr. sublime, celere, memore, alia, a neutris adjectivis et in ‚um' et in ‚e' desinentibus, quae praecipue apud poetas adverbiorum loco ponantur, minime tamen vera sint adverbia; exemplumque prioris generis ex Prudent. affert Perist. X, 428: „nunquam . . . . aliter precabor, quam fidele ut militent"

Equidem quum, in quonam potissimum distinctio ista posita sit, non bene videam, promiscue et „vera" et non vera, si ita placet, graeco more prolata adverbia afferam; sunt autem haec:

aeternum jacet Perist. II, 508.
castum sapere Cath. II, 32.
indomitum tumere Psych. 296.
malignum murmurare Perist. V, 417.
mancum claudicare Perist. II, 231.
longum silere Perist. X, 393.
pulcrum splendere Cath. VII, 78.
severum vivere Cath. II, 33.
sudum praenitere Cath. VII, 80.
supremum palpitare Cath. VII, 142.
taetrum flagrare Cath. IV, 22.
dulce delectare Perist. X, 365.
exile trahere Apoth. 847.
futile frendere Ham. 560.
formidabile fervere Psych. 296.
fidele militare Perist. V, 428.
grande tumere Ham. 171.
juge durare ibid. 472.

inevitabile mergere Sym. II, 464[49]).
juge vivere Perist. IV, 143.
iners jacere nescit Cath. VI, 36.
leve praenatare Perist, VII, 73.
lene jacens Ham. 769. susurrans Apoth. 846.
molle succingi Perist. X, 281.
penetrabile durans Psych. 125.
suave recinens Sym. I, 63.
suave sonare Cath. V, 122.
triste canere Cath. V, 50.
triste intueri Perist. X, 719.
triste fremere Sym. II, 292.

(cfr. „altior insurgens“ Psych. 31. „serenus adspice Cath. VII, 34.“ mendosus agit quid Apoth. 975. „diversa[50]) utrosque permovet.“ Perist. II, 387.)

De ‚quamlibet‘ conjunctione q. d. concessiva Erasmus Roterodamus in Commentario ad hymn. Cath. XI, v. 17 haec habet:

„Recte docet Valla, „quamquam“ et „quamvis“ solere praeponi in oratione, quae constat duabus partibus: „quamquam alienus es, tamen te ut Christianum amo.“ „Quamvis dives sis, non ideo jus habes in nos.“ Contra fit in ‚quamlibet‘, quae proprium verbum non habet, sed subjicitur, sic tamen, ut oratio possit in geminam resolvi: „non enim pili facit te, quamlibet divitem“, vel „quamvis divitem“,

---

49) „. . . aut cur rubrica minetur,
quae probibet peccare reos, quos ferrea fata
cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt,
(non enim intellegi posse existimo „mergere ad facinus inevitabile“).

50) Quin ipsa odoris qualitas
adusta quam reddit cutis
diversa utrosque permovet
his nidor, illis nectar est. —

nam ‚quamvis' utramque naturam obtinet. Hanc regulam videtur neglexisse Prudentius. Et haud scio an alicubi reperiatur etiam apud probatos auctores. Certe apud Aurelium Augustinum reperio." — Locos quibus „quamlibet" scripsit Prudentius pro „quamquam" vel „quamvis" — integros affero:

Cath. XI, 17: „Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius."

Cath. VIII, 53: „quamlibet spreto sine more pastu
sponte confectos tenuemus artus . . . . :
vincitur semper . . . ."

Sym. I, 593: „Quamlibet illustres meritis . . . .
praemia virtum . . . .
ardua rettulerint . . . .
(598) attamen . . . ."

Perist. XI, 163: „Quamlibet ancipites texant . . . .
attamen . . . ."

(Ham. 936: „quamlibet indignam venia faciamque
loquarque.")

Caeterum ‚quamlibet' cum proprio verbo legitur jam apud Quint. I, 1. 18: „quamlibet parum sit . . . . majora tamen"; apud Solinum 9. (14) extr.: „Quamlibet Olympias . . . nobiliorem ei patrem acquirere affectaverit . . ." (Klotz s. v. quam libet). —

Praepositionum, conjunctionum, interjectionum quum in nullam incidissem, quae huc referri mereretur — disputationi finem facturus essem, nisi nonnulla annotanda existimarem de ea Prudenti arte, qua, Plautum, Lucretium imitatus, uno eodemque versu plures voces saepissime posuit, eadem littera ordientes, („alliterationem" appellant recentiores. —)

„Annominationis" q. d. rariora sunt exempla:

